TRACTATUS NONUS.
DE FIDE THEOLOGICA.

HOC nomen *Fides* varie uſurpatur. Primo fides ſumitur pro fidelitate, ſeu veracitate, ſeu conſtantia in dictis. Unde hoc modo, ſecundum vocis Etymon, *Fides* nuncupatur, quod *fiat id, quod dicitur*. Secundum rem tamen, eſt dictorum, & conventorum conſtantia, & veritas. Ita ſumitur Iſaiæ 11. v. 5. *Fides cinctorium renum ejus*. Et Rom. 3. v. 3. *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?* In hoc ſenſu Deus dicitur eſſe fidelis, *Deut.* 32. *v.* 4. *Pſ.* 144. *v.* 13. & 1. *Cor.* 10. *v.* 13. & apud nos, homines in dictis conſtantes, viri probatæ fidei nuncupantur.

Huic acceptioni annectitur alia, qua fides pro fidelitatis objecto, vel promiſſione uſurpatur: juxta quod, 1. *ad Timoth.* 5. *v.* 12. dicitur, quod *primam fidem irritam fecerunt*, ideſt, continentiam, quam Deo promiſerant, violaverunt, ut ſentit Auguſt. *l. de Sancta Virgin. c.* 33.

Secundo. Sumitur fides pro conſcientia. Sic vulgo dicitur aliquis poſſeſſor bonæ, vel malæ fidei, qui bona, vel mala conſcientia aliquid poſſidet. Et in hoc ſenſu exponitur illud Pauli, Rom. 14. v. 23. *Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ideſt, quod non fit ex conſcientia, & perſuaſione, qua quis credit, vel exiſtimat, eſſe licitum, peccatum, & illicitum eſt.

Tertio. Nomen fidei tribuitur etiam fidei objecto, ſeu rebus creditis per fidem. Sic Theologi ſæpe dicunt, fides eſt, Deum eſſe incarnatum, ideſt, Deum eſſe incarnatum, fide creditur. Et S. Athanaſius in Symbolo: *Hæc eſt fides catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit*: ubi nomine fidei ſumit doctrinam, & materiam credendam per fidem. Ita etiam ſumit Paulus, Rom. 1. v. 5. *Ad obediendum fidei*. Et Actor. 6. v. 7. *Multa etiam turba Sacerdotum obediebat*.

Quarto. Sumitur fides pro fiducia. Ea in hoc ſenſu utuntur, ſeu verius abutuntur Lutherani, & Calviniſtæ, contra quos in *Tract. de Juſtific.* egimus; dum ajunt, nos juſtificari per fidem, ideſt, fiduciam, qua confidimus, nobis remitti peccata per Chriſtum. Hæc tamen fidei acceptio licet in caſu, quo ea utuntur hæretici, rejicienda ſit; abſolute tamen admittenda eſt, tamquam effectus fidei, immo & ſpei; ex eo enim quod Deo credimus, & in eum ſperamus, naſcitur fiducia in ipſum, ut ſuo loco diximus.

Quinto. Sumitur fides pro habitu, quo inclinamur ad aſſentiendum, vel actu, quo aſſentimur dicto alterius, ejus auctoritate moti. Et ſi quidem aſſentiamus ob auctoritatem humanam, fides humana vocatur: ſi vero propter divinam, divina, chriſtiana, catholica, & theologica. Et in hoc ſenſu Chriſtiani catholici fideles nuncupantur, quia credunt, Deum eſſe fidelem, ac veracem in ſuis dictis. Et de fide hoc modo accepta in præſenti Tractatu agendum eſt, partim, ut ſignificat habitum, quomodo Tridentina Synodus, *Seſſ. 6. cap.* 7. docet, fidem infundi: partim, ut ſignificat actum; nomine enim habitus actum vocitari conſueviſſe, dicit S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 55. *art.* 1. *ad* 1.

Hanc ergo divinam, & theologicam fidem ſic definivit Apoſtolus, Hebræor. 11. verſ. 1. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*. Quam definitionem acute explicat S. Thom. hac 2. 3. *quæſt.* 4. *art.* 1. dicens: fidem vocari *argumentum*, ideſt, firmam adhæſionem rebus non apparentibus; *quia ſcilicet, per auctoritatem divinam intellectus credentis convincitur ad aſſentiendum his, quæ non videt*. Inde ſubjungit: *Si quis* ergo *in formam definitionis hujuſmodi verba reducere velit, poteſt dicere: quod fides eſt habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens, intellectum aſſentire non apparentibus*. Ex quibus alia poteſt conſtrui definitio, nempe: fides eſt habitus ſupernaturalis in intellectu infuſus, quo veritatibus a Deo revelatis aſſenſum præſtamus. De hac ergo ſit.

QUÆSTIO I.

De Natura Fidei Divinæ.

NAturam fidei divinæ, ut dicit habitum, præſens quæſtio inveſtigabit, quod per ſequentia præſtabimus.

DUBIUM I.

Quodnam ſit Objectum Fidei Divinæ?

§. I.

Reſolutiones Dubii.

I. SIcut in objecto cujuslibet ſcientiæ, vel habitus tria conſideramus, nempe, rationem formalem *qua*, ſeu objectum formale *quod*, ideſt, ſubjectum, de quo agit primo, & per ſe, & de aliis, ut ordinantur ad ipſum, inſuper rationem formalem, *ſub qua*, vel *qua* mediante procedit ad objectum formale *quod* attingendum: vel tandem objecta materialia, ſeu particularia, quæ conſiderat. Quod explicari poteſt in medicina: cujus objectum formale *quod*, eſt ſanitas; quia de ea agit, & omnia alia ad eam ordinat. Objectum formale *quo*, ſeu ſub quo ſunt media, ſeu principia, per quæ ad ſuas concluſiones ſtatuendas procedit. Objecta vero materialia ſunt concluſiones particulares, quas per talia media cognoſcit. Ita proportione ſervata de fide dicendum eſt.

II. Dico primo. Objectum formale *quod*, ſeu ratio. *quæ a* fide primo, & per ſe creditur, eſt Deus ut Deus, & ut in ſe prima veritas excedens rationem naturalem. Unde S. Thom. q. 14. de Verit. art. 8. ad 17. *Pro tanto* (inquit) *veritas prima dicitur eſſe fidei objectum, quia de ea eſt fides*. Ex quo formatur ratio. Illud eſt objectum formale *quod*, ſive ſubjectum habitus cognoſcitivi, de quo principaliter agit ille habitus, & ad quod omnia alia refert: ſed omnia ea, quæ a fide cognoſcuntur, & creduntur, vel ſunt Deus, vel aliquid ad Deum conducens: quare S. Th. hac 2. 2. *qu.* 1. *art.* 1. *ad* 1. dicit; *Quod ea, quæ pertinent ad humanitatem Chriſti, & ad Sacramenta Eccleſiæ, vel ad quaſcumque creaturas, cadunt ſub fide; in quantum per hæc ordinantur ad Deum, & eis etiam aſſentimus propter divinam veritatem; ergo &c.* Cum enim fides reſideat in intellectu, cujus objectum eſt verum, ſicut objectum voluntatis eſt bonum: ideo ſicut charitas, quia reſidet in voluntate, habet pro objecto *quod* Deum, ut ſummum bonum; ita fides habebit objecto *quod* Deum, ut in ſe primum verum.

III. Dico ſecundo. Objectum formale, *ſub quo* fidei, ſeu ratio formalis credendi eſt Deus, ut prima veritas in dicendo, ſeu revelando ea, quæ non apparent. *Non enim* (inquit S. Thom. hoc art. 1.) *fides, de qua loquimur, aſſentit alicui, niſi quia eſt a Deo revelatum. Unde ipſi veritati divinæ fides innititur, tamquam medio*. Et *quæſt.* 14. *de Verit. art.* 8. *ad* 16. ait: *Nec tamen oportet, quod quodlibet enunciabile, de Deo formatum, ſit credibile: ſed illud ſolum, de quo veritas divina teſtificatur. Sicut etiam corpus mobile eſt ſubjectum naturalis Philoſophiæ: nec tamen omnia enunciabilia, quæ de corpore mobili poſſunt formari, ſunt ſcibilia; ſed illa ſolum, quæ ex principiis naturalis Philoſophiæ manifeſtantur. Ipſum autem teſtimonium veritatis primæ ſe habet in fide, ut principium in ſcientiis demonſtrativis*.

IV. Ex his conficitur ratio. Illud eſt ratio formalis, ſub qua credendi, quod eſt medium, & cauſa aſſenſus: ſed medium, & cauſa aſſentiendi rebus fidei eſt veritas, ſeu veracitas prima revelans, & teſtificans; omnis namque fides innititur teſtimonio, & auctoritati dicentis: ideo enim alicui credimus, non quia eſt juſtus, non quia ſapiens, non quia doctus, ſed quia verax; ergo id, cui tamquam medio fides chriſtiana innititur, eſt auctoritas Dei tamquam veracis, ſeu quia prima veritas in dicendo. Et propterea Sanctus Paulus, ut induceret Galatas ad credendum firmiter Evangelio, quod eis prædicabat, ait c. 1. v. 12. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed revelationem Jeſu Chriſti*. Quia, ut dicitur 1. Joann. 5. v. 9. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt*: quibus intendebat S. Joannes inducere homines ad credendum, Chriſtum eſſe Filium Dei, quia hoc teſtificatur Deus. Quo etiam medio utebatur Chriſtus, ut moveret Phariſæos ad credendum, ſe eſſe Filium Dei, *Joann.* 8.

V. Adverto tamen: quod in hoc complexo prima veritas, ſeu veracitas in dicendo, ſeu revelando, duo ſunt; nimirum, prima veracitas, & locutio, ſeu revelatio. Ratio igitur, formale motivum credendi, non eſt exterior locutio, & revelatio, ſed ipſa divina veracitas. Licet enim non credamus alicui, niſi nobis loquatur, vel revelet aliquid ſecretum; non tamen ideo ei credimus, quia loquitur, vel revelat; ſed quia exiſtimamus, ipſum eſſe veracem in dictis ſuis: quod ſi eum exiſtimaremus, non eſſe veracem, ejus dictis fidem non haberemus. Igitur revelatio, & locutio eſt quidem conditio nobis applicans veracitatem Dei, & ſine qua credere non poſſemus: quomodo enim credere poſſemus Incarnationem, niſi Deus eam nobis revelaſſet? Ratio tamen, quare eam credimus, eſt, quia Deus in revelando eſt verax; immo prima veracitas.

VI. Dico tertio. Materiale fidei objectum principaliter quidem eſt Deus, ſecundum autem quidquid a Deo revelatur. Ita S. Th. hoc *art.* 1. his verbis: *Si vero conſideremus materialiter ea, quibus fides aſſentit, non ſolum eſt ipſe Deus, ſed etiam multa alia; quæ tamen ſub aſſenſu fidei non cadunt, niſi ſecundum quod habent aliquem ordinem ad Deum*. Et citata *q.* 14. *de Verit. art.* 8. *in c.* ait: *Veritas autem divinæ cognitionis hoc modo ſe habet, quod primo, & principaliter eſt ipſius rei increatæ, creaturarum vero quodammodo conſequenter; in quantum quidem cognoſcendo ſeipſum, omnia alia cognoſcit. Et ita fides, quæ hominem divinæ cognitioni conjungit per aſſenſum, ipſum Deum habet, ſicut principale objectum: alia vero quæcumque, ſicut conſequenter adjuncta*.

§. II.

Objectiones contra Præfatas Reſolutiones.

VII. COntra primam Reſolutionem objici poteſt. Idem eſt objectum formale *quod* fidei, ac finis ejus: ſed finis fidei non eſt ſolus Deus, ſed etiam Chriſtus, juxta illud, Rom. 10. ver. 4. *Finis enim legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti*. Inſuper ſalus noſtra 1. Petri 1. ver. 9. *Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum*.

Rurſus: multa, etiam fide divina credere tenemur, quæ non ſunt Deus, nimirum, omnia myſteria ipſum concernentia, quæ non ſunt prima veritas; ergo &c.

VIII. Reſpondeo, Chriſtum ut hominem, & ſalutem noſtram eſſe finem fidei, non ultimum, ſed intermedium; ſolum autem Deum eſſe finem ultimum, juxta illud, 1. Cor. 3. ver. 22. & 23. *Omnia enim veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*. Unde ſolus Deus erit objectum formale primarium fidei.

Ex his reſpondeo ad id, quod additur. Ut enim in tertia Aſſertione diximus, ea, quæ fide credimus, & in recto non ſunt Deus, ſunt objecta fidei ſolum materialia, & ſecundaria; quatenus per ea manuducitur ad Deum cognoſcendum auctorem gratiæ, & ad eum ut talem ordinamur; unde ſolus Deus eſt objectum formale, ratione cujus, & per ordinem ad quem omnia credimus.

IX. Objiciunt primo contra ſecundam Aſſertionem. Illa eſt prima ratio formalis, *ſub qua* credendi, in quam ultimo reſolvitur aſſenſus fidei: ſed hic ultimo reſolvitur in primam veritatem in dicendo; ergo &c. Min. prob. ſi quis interrogetur, cur credat Myſterium Trinitatis, bene quidem reſpondebit: quia hoc dicit Deus, qui eſt prima veritas in dicendo. Verum ſi ulterius interrogetur: cur Deus eſt prima veritas in dicendo: Non aliter ſatisfacere poterit, niſi reſpondendo, quia Deus eſt; ergo &c.

Secundo probatur min. In id ultimo reſolvitur aſſenſus fidei, ex quo ultimo habet infallibilitatem: ſed infallibilitas fidei divinæ non reſolvitur ultimo in primam veritatem in dicendo, niſi addatur prima veritas in cognoſcendo: ut enim aſſenſus ſit infallibillis non ſufficit, ut ſit certus, eum, qui loquitur, non poſſe eum fallere, dum loquitur; ſed inſuper non poſſe falli in cognitione, ſeu quod ſit prima veritas, nedum in dicendo, ſed etiam in cognoſcendo. Niſi enim certi eſſemus, Deum nedum non poſſe nos fallere, dum loquitur, ſed nec poſſe falli in ſe, dum cognoſcit, fidem indubiam ei non præberemus. Sicut nec præberemus homini juſto, & ſimplici, quem eſto moraliter certi ſumus, nos non fallere; formidamus tamen, ne ipſe in ſua cognitione fallatur.

X. Reſpondeo, diſt. maj. In quam ultimo reſolvitur, ut in cauſam immediatam aſſenſus, conc. maj. ut in cauſam eſſendi, nego maj. & ſimiliter diſtincta min. nego conſ. Ad probat. min. dico, quod etſi Deitas ſit id, in quod actus credendi reſolvitur, tamquam in ultimam cauſam eſſendi; non ſequitur, quod in eamdem reſolvi debeat, tamquam in cauſam aſſentiendi. Nam Deitas ſecundum noſtrum modum intelligendi eſt quidem ratio, cur Deus ſit verax; non eſt tamen ratio, cur Deo revelanti non aſſentiamus. Unde ſi quis interrogetur, cur alteri credat, recte dicet: quia eſt verax; licet interim illa ejus veracitas habeat ſuas cauſas: ideo enim eſt verax, quia ſapiens, quia circumſpectus. Verum hæ cauſæ non ſunt cauſæ aſſenſus, ſive actus credendi, ſed tantum ipſius rei, ſeu veracitatis. Quapropter dum quis interrogatus, quare credat? Reſpondet: quia Deus, qui prima veritas eſt in dicendo, hoc dicit; reſpondet ut Fidelis, quia aſſignat cauſam ſui aſſenſus. Dum vero iterum interrogatus, cur Deus ſit prima veritas in dicendo, reſpondet quia Deus eſt; jam non reſpondet, ut Fidelis, ſed ut Theologus, qui ad probandum eſſe in Deo ſummam veracitatem, aſſumit pro medio Deitatem.

XI. Ex his ad ſecundam prob. min. eadem diſtinctione reſpondeo. In eo enim ultimo ſiſtit aſſenſus fidei, quod eſt cauſa immediata, cur quis aſſentiatur: hæc autem eſt ſola prima veritas in dicendo. Hæc enim enim ex ſua linea dicit conformitatem cum objecto, non ſolum ut eſt in mente dicentis, ſed ut eſt in re: alias prima veritas in dicendo non eſſet. Et ideo quamvis præſupponatur, quod Deus non poſſit decipi in ſua cognitione; tamen ad cauſandam fidem in nobis, ſola prima veritas in dicendo concurrit. Quare eſt diſparitas inter teſtimonium humanum, & divinum in ordine ad cauſandam fidem. Quia enim homo non eſt prima veritas in dicendo, ipſi dicenti certo non credimus; niſi aliunde certi ſimus, quod non ſolum dicat, quod ſentit, ſed etiam dicat, quod eſt: ideoque recurrimus non ſolum ad ejus veracitatem, ſed ad ſapientiam. At Deus, qui eſt prima veritas in dicendo, ſtatim ac dicit, ſcimus, quod dicit rem, & ut ſentit, & ut revera eſt. Et ideo licet ejus ſapientia in cognoſcendo requiratur; non requiritur tamen, ut motivum inducens nos ad credendum, ſed ut quid præſuppoſitum ad fidem. Quamvis etiam dici poſſet, unicam cauſam, cur teſtimonio humano aſſenſum præſtemus, eſſe veracitatem dicentis: quod autem ejus veracitas habeat ſuam cauſam, nempe, ſapientiam, requiritur, non ut cauſa aſſenſus, ſed ut cauſa eſſendi ipſius veracitatis.

XII. Objiciunt ſecundo. Si huic veritati: *Deus eſt Unus, & Trinus*, aſſentiamur, quia Deus dixit; oportet, ut huic propoſitioni: *Deus dixit*, aſſentiamur, & hoc per aliam revelationem, alioquin non aſſentiremur per fidem; huic autem revelationi per aliam, & ſic in infinitum.

XIII. Reſpondeo, neg. aſſumptum. Cum enim huic articulo: *Deus eſt unus, & Trinus*, homo aſſentitur, quia Deus dixit, eodem aſſenſu aſſentitur etiam huic: *Deus dicit*. Nam *divinum teſtimonium, ſicut & cognitio, primo, & principaliter eſt de ſe ipſo, & conſequenter de aliis. Joann. 8. Ego teſtimonium perhibeo de me ipſo* (ut ait S. Thom. *qu.* 14. *de Verit. art.* 8. *ad* 2.) Eo proportionali modo, quo lux eſt ratio manifeſtandi ſeipſam, & conſequenter alia. Unde ſicut ut videamus lucem non egemus alia luce: ita neque ut aſſentiamur divinæ revelationi, alia revelatione egemus: ſed Deus revelando aliquod myſterium, eadem revelatione revelat, ſe revelare.

XIV. Objiciunt tertio contra idem. Ratio formalis credendi debet eſſe intrinſeca rebus creditis, ſicut ratio formalis ſciendi eſt intrinſeca rebus ſcitis, nempe, veritas: ſed divina revelatio eſt extrinſeca rebus revelatis; ergo non eſt &c.

Reſpondeo, neg. maj. Hoc enim habet ſpeciale aſſenſus fidei, quod non cauſatur ab intrinſeca rei veritate, ſicut aſſenſus ſcientificus, ſed a teſtimonio infallibili dicentis. Cum ergo teſtimonium primæ veritatis ſit infallibile, quamvis extrinſecum, cauſat aſſenſum fidei infallibilem.

XV. Objiciunt quarto contra idem. Prima Veritas revelans eſt objectum ſpecificans Theologiam, & prophetiam; ergo nequit eſſe objectum ſpecificans fidem: quia virtutes ſpecie diverſæ nequeunt habere idem objectum ſpecificum.

XVI Reſpondeo diſt. ant. Diverſo modo, conc. ant. Eodem modo, nego ant. Alio enim modo veritas revelans ſpectatur a fide, ac a Theologia. Fides enim reſpicit primam veritatem revelantem immediate, ut formaliter, & expreſſe influentem in actum ſuum, & tamquam unicum motivum credendi. At Theologia non reſpicit primam primam veritatem revelantem, ut immediate influentem in actum Theologicum, ſed tamquam influentem immedite in principia Theologiæ: Theologus enim, ut in 1. *par.* dictum eſt, ex Myſteriis revelatis, & fide creditis procedit per diſcurſum ad inferendas concluſiones Theologicas. Unde patet, quod revelatio formalis ad Theologiam ſe habet præſuppoſitive, & mediate; ad fidem autem formaliter, & immediate, ut cauſa immediata aſſenſus.

Aliter quoque divina revelatio comparatur ad prophetiam, ac ad fidem. S. Thom. *qu.* 14. *de Verit. art.* 8. *ad* 13. dicit, omnes propheticas revelationes ordinari ad fidem, ſicut ad finem; nimirum, ad hoc, ut Deus a nobis cognoſcatur per fidem. Quod *ſi aliquando ſit de eodem fides, & prophetia, non tamen ſecundum idem. Sicut de Paſſione Chriſti fuit prophetia Antiquorum, & fides; ſed prophetia quantum ad id, quod erat in ea temporale; fides autem quantum ad id, quod erat in ea æternum*.

Alia quoque diſcriminis ratio eſt. Nam revelatio regulans fidem per ſe, & ex ratione formali debet eſſe obſcura, & enigmatica: nam fides, ut dicemus, non debet videre, quod credit. At revelatio prophetica per ſe non petit obſcuritatem, ſed potius claram rei, quam prædicit, viſionem. Ideoque Prophetæ dicebantur *Videntes*, & prophetia vocatur *Viſio* in Scripturis. Et in Chriſto, in quo, ratione claritatis viſionis beatæ, non potuit eſſe fides, fuit tamen prophetia, ut docet S. Thom. 3. *par. qu.* 7. *art.* 8. Quia de ratione prophetiæ eſt quidem, annuntiare ea, quæ procul ſunt a communi ſenſu, vel ſecundum locum, vel ſecundum tempus hominum, qui ea credunt, & quibus pronuntiantur; non tamen, quod ſint procul, & obſcura ipſi Prophetæ.

XVII. Objiciunt quinto contra idem. Cum Deus revelat Beatis ea, quæ per lumen gloriæ non cognoſcunt, ipſi rebus ſic revelatis aſſentiuntur ea ſola ratione, qua Deus revelat, & tamen non habent fidem; ergo Deus, ut revelans, non eſt objectum fidei.

XVIII. Reſpondeo, neg. conſ. Quia Beati rebus ſic revelatis aſſentiuntur per revelationem claram eis oſtendentem ea, quæ revelantur, ad modum, quo, ut dicebamus, Prophetis clare revelantur multa futura contingentia. Sic Prophetæ lumine prophetico videbant Chriſti Paſſionem temporaliter futuram, & quidem clare. Quod autem ille, qui paſſurus erat, eſſet Deus, hoc cognoſcebant per fidem, & obſcure; & in illis erat prophetia, & fides. Fides ex ea parte, qua illi ſuberat aliquid æternum, quod non videbant: prophetia vero ratione temporalis, quod videbant. Beatis autem nihil obſcurum eſt: nam & temporale clare eis revelatur, & æternum in Deo revelante per viſionem beatam intuentur.

Hinc bene dicit S. Thom. qu. 14. de Verit. art. 8. ad 3. *Veritas prima eſt objectum viſionis Patriæ, ut in ſua ſpecie apparens, fidei autem, ut non apparens. Unde etſi idem re ſit utriuſque actus objectum, non tamen idem eſt ratione. Et ſic objectum formaliter differens diverſam ſpeciem actus facit*.

DUBIUM II.

An Ultima reſolutio aſſenſus fidei unice fiat in Divinum Teſtimonium: an vero etiam in aliquid aliud.

§. I.

Non Fieri in Humanum Ratiocinium.

I. MAnichæi, referente S. Auguſt. *lib. de Utilit. credendi cap.* 1. docebant, ſuperſtitioſum eſſe, fidem ante rationem imperare, quaſi nihil credendum ſit, niſi quod ratio ſuaſerit. Hunc errorem excitaſſe videtur Petrus Abailardus, qui ut narrat S. Bernardus Epiſt. 190. *Fidem definit æſtimationem; quaſi cuique in ea ſentire, & loqui, quæ libent, liceat; aut pendeant ſub incerto vagis ac variis opinionibus no-*

ſtra fidei Sacramenta, & non magis certa veritate ſubſiſtant. Contra hos

II. Dico. Fidei noſtræ reſolutio in humanum ratiocinium, nec fit, nec fieri poteſt. Eſt de fide. Et probatur ex illo, 1. *ad Cor.* 2. *ver.* 4. ubi Paulus ait: *Et ſermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis, ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei* (ver. 8.) *quam nemo Principum hujus ſeculi cognovit &c.* Quapropter, 2. *Cor.* 10. *ver.* 5. vult, Fideles eſſe *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*. Nulla autem eſſet captivitas intellectus in obſequium Chriſti, & fidei, ſi illa tantum crederent Fideles, ad quæ credenda ratione naturali moverentur. Unde Chriſtus, *Matth.* 16. *ver.* 17. Petro, qui eum confeſſus fuerat Filium Dei vivi, dixit: *Caro, & ſanguis non revelavit tibi*, hoc eſt, hanc veritatem lumine, ac ratiocinio naturali intellectus non es aſſecutus) *ſed Pater meus, qui in Cælis eſt.*

III. Idem docuerunt Patres: inter quos S. Auguſtinus, *Serm.* 51. *de Verbis Domini*, nunc *Serm.* 139. *cap.* 1. ait: *Fides enim debet præcedere intellectum, ut ſit intellectus fidei præmium. Propheta enim apertiſſime dixit* (Iſ. 7. ver. 9.) *Niſi credideritis, non intelligetis.* Et *Epiſt.* 118. alias 56. *ad Dioſcorum cap.* 5. docet, quod fides ducere debet rationem, non ratio fidem; & contrarium docere, hæreticorum mos eſt: *Porro* (inquit) *illi, qui cum in unitate, atque communione catholica non ſint, Chriſtiano tamen nomine gloriantur, coguntur adverſari credentibus, & audent, imperitos quaſi ratione traducere, quando maxime cum iſta medicina Dominus venerit, ut fidem populis imperaret. Sed hoc facere coguntur, ut dixit, quia jacere ſe abjectiſſime ſentiunt, ſi eorum auctoritas cum auctoritate catholica conferatur. Conantur ergo, auctoritatem ſtabiliſſimam fundatiſſimæ Eccleſiæ, quaſi rationis nomine, ſuperare. Omnium enim hæreticorum quaſi regularis eſt iſta temeritas.* Hæc S. Auguſtinus. Et quidem vere. Ariani enim fidem de Filii Dei conſubſtantialitate ratiunculis impugnabant: Neſtoriani unitatem Perſonæ in Chriſto: & moderni Acatholici fidem de reali Corporis Chriſti præſentia rationibus ex Philoſophia petitis enervare conantur.

IV. Nec tamen putet quis, fidem adeo eſſe inimicam rationi, ut non permittat, ea, quæ dictat, ratione quoque examinari. Solum vult, quod ratio naturalis non præcedat fidem, ſed ſequatur: non moveat ad credendum, non imperet fidem, ſed fidei ſerviat tamquam ancilla. Cum enim fides, eſto ſit ſupra rationem, rationi tamen non contrarietur, quia verum non contrariatur vero; quamvis ea, quæ dictat, non ratione, ſed auctoritate dicentis credenda ſint; patitur tamen, ut oſtendatur, ea rationi naturali non repugnare: & ſic argumento negativo fides ipſa confirmetur. Et propterea docet S. Thom. 1. *par. qu.* 1. *art.* 5. *ad* 2. quod ſacra doctrina, *accipere poteſt aliquid a philoſophicis diſciplinis; non quod ex neceſſitate eis indigeat, ſed ad majorem manifeſtationem eorum, quæ in hac ſcientia traduntur. Non enim accipit ſua principia ab aliis ſcientiis, ſed immediate a Deo, per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis ſcientiis, tamquam a ſuperioribus; ſed utitur eis, tamquam inferioribus, & ancillis: ſicut architectonicæ utuntur miniſtrantibus, ut civilis militari.* Quod ſi ſacra doctrina, ideſt Theologia, a principiis naturalis rationis non pendet; multo minus fides, quæ eſt Theologia ſuperior.

V Credendum igitur prius eſt unice ob auctoritatem Dei dicentis, quæ ſola moveat ad aſſenſum: deinde, ſi placet, oſtendatur, ea, quæ credit, rationi naturali non repugnare. Ita S. Auguſtinus. *Epiſt.* 49 nunc 106. *ad Deogratias qu.* 6. hortatur, ut qui quæſtiones proponit contra fidem, prius fiat Chriſtianus, & credat: *Ne forte cum expectat, ante librorum ſanctorum finire quæſtiones, prius finiat vitam, quam tranſeat de morte ad vitam.... ſunt enim innumerabiles, quæ non ſunt finiendæ ante fidem, ne finiatur vita ſine fide. Sed plane retenta jam fide, ad exercendam piam delectationem mentium Fidelium ſtudioſiſſime requirenda; & quod in eis eluxerit, ſine typho arrogantiæ communicandum, quod autem latuerit, ſine ſalutis diſpendio tolerandum.* Ita ſe gerunt Catholici Doctores. Prius credunt myſteria fidei: deinde quæſtiones, & difficultates, quæ circa illa occurrunt, examinandas proponunt.

VI. Sed dices pro Abailardo primo. Eccleſiaſtici 19. ver. 4. *Qui credit cito, levis corde eſt;* ergo prius examinandum eſt ratione id, quod proponitur, ut prudenter credatur.

Reſpondeo exponendo textum. Qui *credit cito* homini, conc. Deo, nego. Litteralis ergo ſenſus eſt, homini, qui fallere poteſt, & falli, non eſſe cito credendum; ſed prius explorandam qualitatem perſonæ, quæ loquitur: unde ſermo eſt de fide humana, non de divina. Si enim certo conſtet, Deum eſſe, qui loquitur, qui nec fallere poteſt, nec falli, cito, prudenterque credendum eſt.

VII. Dices ſecundo. Beata virgo, ut habeatur *Lucæ* 1. *ver.* 19. non leviter Angelo Myſterium Incarnationis credidit, ſed *cogitabat, qualis eſſet illa ſalutatio.* Rurſus: 1. Theſſal. 5. ver. 21. *Omnia autem probate; quod bonum eſt, tenete.* Et 1. Joan. 4. ver. 1. *Probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.*

VIII. Reſpondeo ad primum, B. Virginem prudenter quidem examinaſſe, qualis eſſet illa ſalutatio; quia primo aſpectu timere poterat, an qui loquebatur eſſet verus, an ementitus Dei nuntius. Verum ſtatim ac cognovit, verbum Angeli eſſe verbum Dei, abſque hæſitatione, & ulteriori examine credens: *Ecce* (inquit ver. 38.) *Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Quare, nec citius, nec tardius credidit quam oportuit. Et ideo fides ejus ab Eliſabeth commendatur, Lucæ 1. ver. 45. *Beata, quæ credidiſti.* Ad alios autem textus ſimiliter dico, non omni ſpiritui ſtatim credendum, ſed probandos eſſe ſpiritus, ſi ex Deo ſint: non quando proponitur nobis credendum aliquid, quod univerſa, & ſemper tenuit Eccleſia, & certo conſtat, eſſe a ſpiritu Dei revelatum. Sed quando aliqui ſeſe prophetas Dei venditantes, aliquid ex parte Dei nobis nuntiarent, præter traditam ab Apoſtolis doctrinam, & ab Eccleſia probatam (ut Novatores, & hæreſiarchæ faciunt) ab his enim ſunt exigenda ſuæ prætenſæ divinæ miſſionis indicia, & ſigna; nempe, vel miracula, vel ſecretorum penetratio, vel aliud ſignum indicans, eos ex ſpiritu Dei loqui. Et de his loquebantur Paulus, & Joannes. Quæ ſigna a modernis Pſeudoreformatoribus juſte poſtulavimus in *Vera Eccleſia Tom.* 1. *cap.* 2. §. 3.

IX. Dices tertio. Si abſque evidenti ratione objectis propoſitis credendum ſit, plura credi poterunt contra manifeſtam rationem, excuſandique erunt Infideles, ſi plura contra rationem credant.

Reſpondeo, neg. ſequelam. Nam in primis ea, quæ credenda per fidem proponunt, ſunt quidem ſupra, ſed non contra rationem. Deinde licet ratione demonſtrari non poſſint, oſtendi tamen poteſt, rationi non repugnare: & tandem ea eſſe a Deo dicta, & proinde prudentiſſime credibilia, motiva plura inferius referenda ſatis oſtendunt. Nihil autem horum habent Infideles, ut ſuos errores excuſent.

§. II.

Non fieri in Solam Sacram Scripturam.

X. LUtherani, & Calviniſtæ ultimam reſolutionem fidei noſtræ, tam quoad propoſitionem credendorum, quam quoad aſſenſum rebus propoſitis, aſſerunt, fieri debere in ſolam Sacram Scripturam. Contra quos

Dico. Ultima fidei reſolutio non fit in ſolam Sacram Scripturam. Probatur. Reſolutio ultima fidei debet fieri in regulam certiſſimam, infallibilem, corruptioni non obnoxiam, & de qua nemo poſſit dubitari; ſi enim de regula fidei quis dubitare poſſet, poſſet etiam dubitare de fide: ſed qui contendunt, ultimam reſolutionem fidei eſſe faciendam in ſolam Sacram Scripturam, non aſſignant regulam certam, & conſtantem, de qua dubitari non poſſit; ergo &c. Min. prob. Eſto certum ſit, Sacram Scripturam, vere talem, eſſe verbum Dei: Scriptura tamen non dicit, eam, quam habemus (ſive verſio, ſive textus ſit) eſſe illam eamdem, quam Spiritus Sanctus dictavit Apoſtolis, vel Prophetis. Contrarium enim evincunt mutationes, alterationes, quæ per additionem, vel detractionem, vel tranſpoſitionem in ea contigerunt: ſive malitioſe, ut ab hæreticis, ſive ex ignorantia, ut ab Amanuenſibus, Typographis, vel etiam Interpretibus ipſis. Quæ omnia manifeſte oſtendunt emendationes variæ Bibliorum a Summis Pontificibus adornatæ: quibus forte non adhuc factum eſt ſatis, cum plura adhuc ſupereſſe emendanda, non pauci ſentiant. Tum quia: an mutatio, ſeu corruptio in textu Originali contigerit, an in verſione, multi ambigunt. Variantes inſuper lectiones dubium relinquunt, quænam vere referat verbum Dei.

XI. Nec etiam ſe ſola ſufficit ad dirimendas omnes, quæ circa fidem exoriri poſſunt, controverſias, & diſcernendum revelata a non revelatis. Cum enim ipſa non dicat, quinam libri ſint vere canonici, ac verum Dei verbum contineant, ex ipſa ſola certitudinem habere non poſſumus, quinam ſint ejus libri, qui nos movere poſſint ad aſſentiendum fide divina. Lutherani, & Calviniſtæ a verbo Dei expungunt libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum. Immo ex receptis libris canonicis non ſolum plures verſus, ſed etiam plura capita explodunt: ut ex libro *Danielis cap.* 3. totum canticum trium puerorum: *Capita* 13. & 14. integra, continentia hiſtorias Suſannæ, Draconis Beli, carceris Danielis, & tranſlationis Habacuc Prophetæ in lacum leonum, ut Danieli cibum afferret.

XII. In libris etiam, quos ut verbum Dei admittunt omnes, plures inveniuntur in ſpeciem pugnantes textus; qui non ita facile ex ſola Scriptura conciliari poſſunt. Sic, *Joann.* 10. *ver.* 30. Chriſtus dicit: *Ego, & Pater unum ſumus.* Ex quo Catholici probant, Filium eſſe conſubſtantialem Patri. *Cap. autem* 14. *ver.* 28. dicit: *Pater major me eſt.* Ex quo Ariani oſtendebant, Filium non eſſe ejuſdem naturæ, ſed inferiorem Patre. Similiter ex his Chriſti verbis, Matth. 26. ver. 26. Marci 14. ver. 22. & Lucæ 22. ver. 19. *Hoc eſt corpus meum*, probant Catholici realem Corporis Chriſti præſentiam in Euchariſtia. At ex his aliis, Joan. 6. 1. 64. *Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt*, concludunt Calviniſtæ, Corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia ſpiritualiter ſolum, & figurative.

XIII. Scio, reponere Adverſarios, textus Scripturæ, in ſpeciem pugnantes, invicem conciliari, & explicari per alios textus ejuſdem Scripturæ.

Sed contra. Quamquam non diffiteor, plures Scripturæ textus poſſe hac via conciliari: plurimi tamen ſunt, quorum conciliatio aliunde petenda eſt, quam ex Scriptura ſola. Sicut nec omnes legis poſitivæ textus, invicem pugnantes, ex ſola lege conciliari poſſunt; niſi Judaicis ſententia acceſſerit, quinam ſit verus legis ſenſus decernentis. Veniat enim Arianus, & objiciat, Filium eſſe Patre minorem, quia hoc Scriptura dicit: *Pater major me eſt.* Reſpondebit Catholicus, hoc eſſe intelligendum ſecundum humanitatem, non ſecundum divinitatem, & afferet textum: *Ego, & Pater unum ſumus.* Reponit Arianus, hoc eſſe intelligendum de unitate non in natura, ſed in conformitate voluntatis, & affectus, & afferet textum *Joan.* 17. *v.* 21. ubi Chriſtus P[illegible]em pro diſcipulis orans: *Ut*

Ut omnes (inquit) *unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint.* Et ver. 22. *Et ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.* Ubi certe de ſola unitate conformitatis in affectu ſermo eſt. Si ergo in ſola Scriptura ſiſtamus, quodnam erit verum Dei verbum? id, quod ab Ariano contenditur, an quod a Catholico? Veniant inſuper ſimul Lutheranus, Catholicus, & Calviniſta, & afferant hæc verba; *Hoc eſt Corpus meum;* quibus exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia exprimitur: Lutheranus dicet, eſſe ibi per conſubſtantiationem, Catholicus per tranſubſtantiationem, Calviniſta per figuram. Scriptura multoties conſulta, examinata fuit. Catholici, qui ſecundum Eccleſiæ Definitionem verbum Dei intelligunt, concordes ſunt. At Lutherani, & Calviniſtæ, qui ſoli Scripturæ adhærent, adhuc invicem digladiantur; nec adhuc quænam ſit vera intelligentia, invenerunt.

XIV. Fateri igitur oportet cum S. Petro, *Epiſt.* 2. *cap.* 2. *ver.* 16. quod in Scripturis, ſicut & in Epiſtolis Pauli: *Sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem;* & propterea eorum ſenſum non poſſe quemlibet propria interpretatione invenire. Unde ibidem *cap.* 1. *ver.* 19. *&c.* Scripturam comparat *Quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus noſtris. Hoc primum intelligentes, quod Scriptura propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.*

XV. Nec refert dicere, Scripturam Sacram in rebus fidei ſtatuendis eſſe conſulendam: cum Dominus Judæos ejus divinitatem in dubium revocantes, ac ipſum vere Meſſiam inficiantes, ad Scripturas remiſerit, dicens Joann. 5. ver. 39. *Scrutamini Scripturas ... & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.*

Nam hoc non eſt contra nos. Non enim negamus, Scripturam eſſe infallibilem fidei regulam, cum enim ſit verbum Dei ſcriptum, continens auctoritatem Dei dicentis, nulla poteſt eſſe certior regula veritatis. Sed ſolum docimus, Scripturam ſolam non eſſe ſufficientem regulam quoad nos, ut credenda a non credendis diſcernamus.

§. III.

Non fieri in Spiritum Particularem, ſeu privatum.

XVI. LUtherani, & Calviniſtæ dicunt, regulam diſcernendi revelata, & credenda a non revelatis, & non credendis fide divina, moventem ad aſſenſum, vel diſſenſum, eſſe ſpiritum particularem, & privatum, quem vocant ſpiritum diſcretionis, ſive internum motum Spiritus Sancti, cuilibet Fideli aſſiſtentem: ut ſi pio, & humili corde ad Scripturæ meditationem accedat, errare non poſſit in diſcernendo quid ſit credendum, quidve non. Itaque volunt, Sacram Scripturam eſſe Solem ſplendidiſſimum undequaque radios diffundentem, & ſeipſum manifeſtantem: ita ut quilibet privatus homo oculos pie ad ipſam convertens, ſufficiens lumen habeat ad ejus verum ſenſum penetrandum. Nihilominus.

XVII. Dico. Ultima fidei reſolutio non fit in ſpiritum diſcretionis, qui cuilibet privato Fideli adſit. Probo primo, petendo ab adverſariis: unde habent a Deo promiſſum Spiritum Sanctum cuique Fideli, etiam mulieri idiotæ, ut ei ſpecialiter aſſiſtat, ne erret in diſcernendis iis, quæ fidei ſunt? Nos, ut probemus, Spiritum Sanctum aſſiſtere ſpecialiter Eccleſiæ, ne in hoc erret, inter cætera afferimus verba Chriſti ad Petrum, Lucæ 22. ver. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Si autem Spiritus Sanctus cuilibet Fideli aſſiſtit, cur pro ſolo Petro Chriſtus rogat? Si quiſque poteſt ſuo ſpiritu ea, quæ fidei ſunt ſine errore diſcernere, cur cæteri confirmandi erunt per Petrum?

XVIII. Dicunt, ſpiritum diſcretionis promiſſum legi 1. Cor. 2. ver. 15. *Spiritualis autem judicat omnia: & ipſe a nemine judicatur ... Nos autem ſenſum Chriſti habemus.* Et 1. *Joann.* 2. *ver.* 27. ubi Joannes ſic hortatur Fideles: *Et vos unctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis. Et non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos: ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium. Et ſicut docuit vos, manete in eo.* Spiritum ergo unctionis habent Fideles, qui doceat ipſos, ut non egeant ab alio doceri, quo omnia judicent, & ipſi a nemine judicentur.

XIX. Sed contra. Eſto homo vere ſpiritualis, quatenus vere agitur, ac regitur a Spiritu Dei, recte omnia judicet; & dum manet in unctione Spiritus, qui eum docuit, non egeat ab alio doceri: quis tamen certus eſt ſe ſemper agere ut ſpiritualem, ſeu agi a divino Spiritu? Unde hanc certitudinem habet? Multi ſe a divino Spiritu agi putant, qui a Diabolico aguntur, vel ſaltem a proprio. 3. *Reg. cap.* 22. Dedit Deus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum Achab, qui tamen Spiritum Dei ſe habere exiſtimabant: unde unus ex eis Michæam verum Prophetam alloquens *ver.* 24. ait: *Me ne ergo dimiſit Spiritus Domini, & locutus eſt tibi?* Optime igitur 1. *Joann.* 4. *ver.* 1. monemur: *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.* Si igitur debemus probare, & dijudicare ſpiritum, ipſe non poteſt eſſe Judex noſter: non enim licet, judicem judicare.

Unctio vero illa, de qua idem Sanctus Joannes loquitur, non eſt ſpiritus diſcretionis, quem excogitarunt ſectarii, ſed fides ipſa, quam ab Apoſtolis docti erant: a qua monet, ne excidant, ſicut alii fecerunt; cum ipſa doceat omnia, nec ulterius egeant, ut doceantur; omnis enim doctrina, aliena ab ipſa, mendacium eſt. Unde præmiſerat, *ver.* 26. *Hæc ſcripſi vobis de his, qui ſeducunt vos.* Quando ergo ſubjungit: *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos*, ſenſus eſt: ſufficienter docti eſtis ea, quæ credere debetis, ab Apoſtolis, nec oportet, ut aliam doctrinam audiatis; hæc in vobis maneat: nam omnis alia doctrina mendacium eſt. Immo ſi Fideles illi ſpiritum diſcretionis, quo dijudicare poſſent inter veram, & falſam doctrinam accepiſſent, non oportuiſſet, ut eos moneret S. Joannes, ut a falſa doctrina caverent, quam per ſpiritum diſcretionis noſſe poterant, & declinare.

XX. Deinde a poſteriori ſpiritum hunc diſcretionis ſic impugno. Cum adverſi Heterodoxi in tot ſectas contrariis ſenſibus Scripturas interpretantes, quarum unaquæque ſpiritum diſcretionis jactat, ſe habere, vel dicendum erit, ſpiritum iſtum ſibi eſſe contrarium, & in una Secta verum dicere, in alia falſum: vel, quod verum eſt, nullam ex Spiritu Dei loqui, de ſpiritu mendacii: quod poſito hoc ſpiritu privato, tamquam regula fidei diſcretiva credendorum a non credendis; ampla aperitur via ſchiſmatibus, & hæreſibus, & omnis præcluditur exitus pro iis extirpandis. Si enim unus affirmet, Scripturam ita, & in hoc ſenſu loqui; alter affirmet oppoſitum, & uterque dicat, ſe id a Spiritu Sancto interius ſibi loquente excipere: quis poterit, alterutrum erroris arguere? Eccleſia, Concilia, Pontifex? Nequaquam. Certe ſi hunc ſpiritum jactaſſent Ariani, Neſtoriani, & quotquot ante Lutheranos, & Calviniſtas, hæretici fuerunt, incaſſum contra ipſos Concilia Eccleſia coegiſſet.

XXI. Sed quod in hoc magis miror, eſt, quod hujuſmodi ſpiritus aſſertores negent, hunc ſpiritum Eccleſiæ aſſiſtere, quam tamen, teſtimonio Chriſti, *Matth.* 18. *ver.* 17. qui non audierit, habendus eſt ut Ethnicus, & Publicanus; ejuſque reſpuant magiſterium, quod poſtea collocant in unoquoque, in fabro, barbitonſore, in vetula idiota, ac rudi. Quod Apoſtolis iſte ſpiritus conceſſus non fuerit; qui Chriſti verba non intelligentes, non ſemel in erroris periculum adducti fuerunt, niſi a Chriſto fuiſſent edocti, & quod omnibus promiſcue ex plebe modo concedatur. Et tandem, quod iſte ſpiritus non adſit Eccleſiæ Catholicæ, & quod adſit Eccleſiis Lutheranorum, & Calviniſtarum; ut Pſeudo-ſynodus Dordrechtana illum ſibi arrogat, anno 1618. contra Arminianos, his verbis: *Synodus, invocato Sancto Dei nomine; ſuæ auctoritatis ex verbo Dei probe conſcia &c.* inde procedens ad damnationem Arminianorum. Quid ergo, ſi Arminiani reſpondiſſent, ſe etiam etiam ex verbo Dei probe conſcios eſſe, quod Spiritum Dei habeant? Plura diximus in Vera Eccleſia, maxime *Tom.* 1. *cap.* 11. §. 8. *a nu.* 77.

XXII. Hoc unum præterire non poſſum; modum iſtum regendi Eccleſiam per ſpiritum internum, alienum eſſe; Tum a modo, quo Deus ſe gerit in gubernio Mundi, quem regit per Principes, & Judices; Tum a modo, quem Chriſtus pro Eccleſiæ regimine præſcripſit, maxime *Joann.* 21. ubi Petro ter dixit: *Paſce agnos, paſce oves meas.* Si enim quilibet ex Chriſti agnis, quælibet ex ovibus interno Spiritus Sancti motu regitur; quid opus erat, ut exterius a Petro in doctrina, & fide paſceretur? Forma igitur regiminis Eccleſiæ non eſt, quam Sectarii confingunt; ſed quam deſcripſit Paulus *ad Epheſ.* 4. Ubi poſtquam dixit *ver.* 4. quod ſumus *unum corpus, & unus ſpiritus;* ver. 7. quod *unicuique data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti* explicans, quænam ſit hæc menſura, *ver.* 11. 12. & 13. ait: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii in ædificationem Corporis Chriſti: Donec occurramus omnes &c.* Is ergo eſt modus, quo Eccleſia regi debet, dum per fidem ambulat, non interno dumtaxat ſpiritu: hoc enim modo ſolum regetur dum evacuata fide regnabit in Patria.

§. IV.

An fiat in Propoſitionem Eccleſiæ.

XXIII. QUæſtio hæc agitatur inter Doctores Catholicos, aliquibus volentibus, ultimam reſolutionem fidei fieri in divinum teſtimonium, & in propoſitionem Eccleſiæ: ita ut hæc ſit cauſa, ſaltem partialis, influens in aſſenſum. Cum communiori tamen, & veriori ſententia.

XXIV. Dico primo. Ultima reſolutio fidei divinæ non fit, adhuc ut in cauſam partialem, & a priori, in propoſitionem Eccleſiæ, ſed unice in divinum teſtimonium: Probatur primo. Ultima reſolutio aſſenſus fidei divinæ a priori, & ut in cauſam, debet unice fieri id id, quod eſt ratio formalis movens ad aſſenſum: ſed ratio formalis movens ad aſſenſum eſt unice teſtimonium, & auctoritas divina, non autem teſtimonium, ſive auctoritas Eccleſiæ, adhuc partialiter: unde ſuperius diximus, rationem formalem credendi eſſe primam veritatem in revelando; ergo &c.

XXV. Secundo prob. Ratio a priori, ſeu motivum formale credendi, debet eſſe adæquate increatum, & divinum, non mixtum ex increato, & creato; alias fides noſtra non eſſet adæquate divina, ſi crederemus, non unice propter veracitatem, & auctoritatem Dei, ſed etiam propter veracitatem, & auctoritatem Eccleſiæ, quæ eſt creatura; nec fides eſſet proprie virtus theologica, cujus objectum; tam *quod*, quam *quo*, debet eſſe unice aliquid divinum; ſed ſi ratio formalis credendi conſtaret ex auctoritate divina, & Eccleſiæ, jam ratio formalis fidei eſſet mixta ex increato, & creato; ergo &c. Hinc S. Paulus 1. Theſſal. 2. ver. 13. *Gratias* (inquit) *agi-*

agimus Deo ſine intermiſſione; quoniam cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed (ſicut eſt vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis. Igitur ſolum verbum Dei eſt, quod operatur in nobis fidem, ſeu quod movet nos ad credendum.

XXVI. Nec dicis, quod cum teſtimonium Eccleſiæ habeat infallibilitatem, non a ſe, ſed ab aſſiſtentia infallibili Spiritus Sancti, a quo accipit auctoritatem, teſtimonium Eccleſiæ eſt potius divinum: ideoque ſi influat in aſſenſum fidei, non poterit dici, fidem adhuc partialiter inniti teſtimonio creato humano.

XXVII. Sed contra Teſtimonium Eccleſiæ, etiam quatenus infallibiliter regitur ab aſſiſtentia Spiritus Sancti, non poteſt dici verbum Dei, aut divina revelatio; ſed eſt verbum hominum, qui non ſolum manum, & linguam præbent, ut ſacri Scriptores, & prophetæ, ſed ſenſum proprium exprimunt, quamvis Spiritu Sancto eos dirigente, ne errent; ergo cum Eccleſia ex hominibus conſtet, teſtimonium Eccleſiæ eſt teſtimonium humanum.

Confirmo. Idem judicium ferendum eſt de poteſtate, & auctoritate a Deo conceſſa Eccleſiæ circa determinationem, ac propoſitionem rerum credendarum, ac de poteſtate ferendi leges circa mores recte probeque inſtituendos: ſed quamvis hæc legislativa poteſtas ſit a Deo, leges ab Eccleſia ſancitæ ſunt humanæ, non divinæ; alioquin etiam leges a Principibus ſancitæ dicerentur divinæ: *Non enim eſt poteſtas, niſi a Deo*, ut ait Paulus *Rom.* 13. *ver.* 1. ergo quamvis Eccleſia in rebus fidei diſcernendis auctoritate ſibi a Deo participata, & cum ſpeciali ejus aſſiſtentia procedat, ejus tamen teſtimonium non eſt divinum, niſi participative, ſed vere humanum.

Unde ſic diſcurro. Cum dicunt Adverſarii, reſolutionem fidei noſtræ fieri in auctoritatem Eccleſiæ, propter aſſiſtentiam S. Spiritus illi promiſſam, & conceſſam: vel ultimo ſiſtunt in auctoritate, quæ eſt in Eccleſia; & ſic in auctoritate humana ſiſtunt. Vel auctoritatem Eccleſiæ in auctoritatem Spiritus, qui eam regit, ulterius reſolvunt; & ſic in auctoritate Eccleſiæ quiete non firmatur aſſenſus fidei, ſed ulterius in divinam auctoritatem debet reſolvi.

XXVIII. Dico tamen ſecundo. Quod eſto reſolutio noſtræ fidei non debeat in auctoritatem Eccleſiæ, ut rationem, *qua* ad credendum, quaſi a priori, inducamur: attamen auctoritas Eccleſiæ, ejuſque teſtimonium eſt ſignum certum, & infallibile, quo judicare poſſumus, ac tenemur, hoc, quod illa nobis proponit ut verbum Dei, revera eſſe verbum Dei; ut qui ipſi proponenti diſcrederet, habendus eſſet, teſtimonio Chriſti, tamquam Ethnicus. Ita S. Auguſtin. *lib.* 1. *contra Creſcon. cap.* 33. ubi loquens de non rebaptizandis hæreticis, ait: *Quamvis hujus rei certe de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum; earumdem tamen Scripturarum, etiam in hac re, a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ: ut quoniam Sancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis, eamdem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate Sancta Scriptura commendat.* Quanti autem habenda ſit a Theologo in formandis argumentis auctoritas Eccleſiæ, docuimus *Tom.* 1. *in* 1. *par. de Loc. Theol. Dub. de Eccleſia.* Et in Vera Eccleſia *Tom.* 1. *cap.* 11. *per totum, & præcipue* §. 7.

§. V.

Objectiones contra duas ultimas Aſſertiones.

XXIX. Objiciunt primo contra primam Aſſertionem S. Auguſtinum, *lib. contra Epiſt. Fundamenti cap.* 5. dicentem: *Ego Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas*; ergo &c.

Urgent primo. Illud, unde incipit res, dicitur eſſe principium, & fundamentum, in quod ipſa ultimo reſolvitur: ſed fides noſtra incipit ab Eccleſiæ doctrina, & prædicatione; ergo ipſa eſt fundamentum, in quod ultimo fides noſtra reſolvitur. Unde Eccleſia ab Apoſtolo 1. *ad Timoth.* 3. *ver.* 15. vocatur *Columna, & firmamentum veritatis.*

Urgent ſecundo. Teſtimonium divinum non eſt potens, ſe ſolo movere ad aſſenſum, niſi accedat propoſitio Eccleſiæ; ergo motivum inducens ad aſſenſum, rei revelatæ coaleſcit ex teſtimonio Dei, & propoſitione Eccleſiæ. Antec. prob. Nam teſtimonium divinum non poteſt movere ad aſſenſum &c. niſi cognoſcatur, illud teſtimonium eſſe divinum: ſed teſtimonium eſſe divinum, intellectus non cognoſcit, niſi ex propoſitione Eccleſiæ; ergo &c.

Urget tertio. Ideo in teſtimonium divinum fit reſolutio fidei, quia Fidelis interrogatus, cur credat, Deum eſſe incarnatum, reſpondet: quia Deus hoc revelavit: ſed interrogatus, quare credat, Deum hoc revelaſſe, reſpondere debet: quia Eccleſia hoc dicit; ergo reſolutio &c.

XXX. Reſpondeo ad argumentum primo, admiſſa auctoritate Auguſtini, neg. conſ. Non enim bene arguitur a conditionali ad cauſalem, ideſt, non crederem, *niſi* &c. ergo credo, *quia* &c. ita ut auctoritas Eccleſiæ proponentis ſit ratio formalis, quare credam. Sicut non valet: non amarem Deum, niſi illum cognoſcerem; ignis non ureret ſtuppam, niſi ei applicaretur; ergo cognitio Dei eſt ratio, & cauſa, cur illum diligam, applicatio ignis eſt cauſa, cur ſtuppa comburatur.

Reſpondeo ergo ſecundo, Auguſtini mentem eſſe, auctoritatem Eccleſiæ eſſe conditionem, ſine qua ipſe non cognoſceret certo, Evangelium, quod ſibi proponitur, eſſe revera Evangelium Chriſti. Vel ſignum ex quo certus ſit, illud eſſe Evangelium Chriſti, ſeu illud, quod Chriſti juſſione per Apoſtolos prædicatum Evangeliſtæ ſcripſerunt: ſicut ex ſigillo cognoſcimus, diploma eſſe Regium, vel Regium mandatum voce miniſtri ad nos venit; cum tamen nec propter ſigillum, nec propter miniſtrum, ſed unice propter regiam auctoritatem diplomati, vel edicto pareamus. Hinc

XXXI. Ad id, quod primo urgetur, dico, maj. eſſe veram de eo, a quo res incipit primo, per ſe, & ex natura rei, non vero de eo, a quo incipit res tantum ex conditione ſubjecti. Quod autem fides noſtra incipiat a proportione Eccleſiæ, non eſt per ſe, & ex natura fidei: nam Prophetæ, & Apoſtoli fidem habuerunt de revelatis, abſque ulla Eccleſiæ propoſitione: ſed eſt ex conditione noſtra. Cum enim nobis immediate revelatio non fiat, ſicut facta fuit Prophetis, & Apoſtolis; ut certo ſciamus, quid ſit revelatum a Deo, quid non, ad teſtimonium Eccleſiæ, quod ſcimus, eſſe infallibile, confugere debemus. Ex his diſcurro ſic. Ejuſdem ſpeciei eſt fides noſtra, ac fides Prophetarum, & Apoſtolorum; at iſtorum fides unice reſolvebatur in teſtimonium Dei ad illos immediate loquentis, abſque ulla externa alterius propoſitione; ergo & noſtra. Unde Auguſtinus *lib.* 11. *Confeſſ. cap.* 3. dicit, quod ſi ſciret ea, quæ ſcripſit Moyſes, non ab illo ſciret, ſed a Deo, qui intus teſtaretur, Moyſen vera dicere. Eccleſia autem eſt columna, & firmamentum veritatis quoad nos, qui non aliunde, quam ab ipſa, poſſumus de veritatibus revelatis certo edoceri: non tamen eſt fundamentum primum, cum non a ſe habeat infallibilitatem, ſed a teſtimonio divino.

XXXII. Ad id, quod ſecundo urgetur, ex dictis reſpondeo, neg. conſ. Arguitur enim a conditionali ad cauſalem. Teſtimonium enim divinum, quia nobis immediate non fit, non eſt potens nos movere, niſi Eccleſia dicat nobis, hoc teſtimonium eſt divinum. Quo ſuppoſito, certiores facti, teſtimonium eſſe divinum; ei credimus; quia continere auctoritatem divinam certo ſcimus.

XXXIII. Ad id, quod urgetur tertio, dico primo, quod ſi illud ratiocinium valeret, concluderet, quod in Eccleſiæ propoſitionem ultimo, & unice fieret noſtra fidei reſolutio, quia Fidelis interrogatus, cur credat, in ea ultimo ſiſtit. —— Dico ergo ſecundo, quod dum Fidelis reſpondet, ſe credere, quia Eccleſia dicit; aſſignat, non cauſam, & rationem formalem aſſenſus, ſed tantum ſuæ notitiæ: ſeu reddit cauſam, unde ſciat, Deum, illam veritatem revelaſſe, non autem cauſam, ſeu rationem, propter quam credit. Quocirca credimus Deo, cujus eſt verbum. Sed quod ejus verbum ſit, accipimus ab Eccleſia, quæ divinitus edocta proponit filiis ſuis, quid ſit credendum, quidve non: in qua propoſitione eam non falli, certi ſumus.

XXXIV. Sed contra dicta inſtabis primo. Aſſenſus fidei humanæ, qui datur Regi loquenti per miniſtros, ſeu Legatos, reſolvitur partialiter in auctoritatem Legatorum. Cum enim ex eorum probitate certi ſimus, eos non loqui, niſi quæ rex mandavit; non ſolum credimus ob auctoritatem Regis, ſed ob eorum privatum teſtimonium; ergo cum certi ſimus, Eccleſiam nobis non proponere, ut de fide, niſi ea, quæ Deus mandavit, ut de fide proponenda, non ſolum credimus &c.

XXXV. Inſtabis ſecundo. Si fides reſolvitur in Deum, vel reſolvitur in Deum nobis exterius loquentem per Eccleſiam; vel in eum loquentem cuilibet Fideli interius. Si prius; ergo reſolutio fiet in Eccleſiam. Si poſterius; ergo reſolutio fiet in internum ſpiritum privatum, quod ſuperius reprobavimus.

XXXVI. Ad primam inſtantiam dici poteſt, teſtimonium Legati eſſe quidem cauſam notitiæ Regii mandati, ſed non cauſam aſſenſus, ut dicebamus de teſtimonio Eccleſiæ. Attamen dato antecedente, nego conſeq. Nam probitatem, & veracitatem, per quam credimus, vere eſſe mandatum Regium, quod Legatus ut tale proponit, Legatus habet a ſe, non a Rege. At veracitatem, quam habet Eccleſia in proponendis iis, quæ ſunt fidei, non habet a ſe, ſed a Deo: unde ſive credamus revelatis, ſive Eccleſiæ proponenti, cauſa aſſenſus ſemper eſt teſtimonium divinum.

XXXVII. Ad ſecundam inſtantiam dico, fidem reſolvi in Deum nobis loquentem partim exterius per Eccleſiam, partim interius per ſeipſum. Idem enim Deus, qui per Eccleſiam nobis loquitur, etiam loquitur in corde; ut verum ſit, nos & ab unctione Dei doceri, ut 1. *Joann.* 2. ſupra dictum eſt; & a Patre audire, & diſcere, ut dicitur, *Joan.* 6. *ver.* 45. Neque hinc infertur, Fideles ſequi ſpiritum privatum, ut Sectarii volunt: quia non proprio ſuo judicio, & arbitratu credenda a non credendis diſcernunt; ſed audiunt Eccleſiam ea ſibi proponentem, & hoc ipſum lumine divinæ fidei illuſtrati amplectuntur.

XXXVIII. Objiciunt ſecundo etiam contra ſecundum Aſſertum. Si teſtimonium Eccleſiæ reſolvi deberet in teſtimonium Dei, jam in reſolutione fidei committeretur circulus vitioſus; crederet enim Fidelis auctoritati Eccleſiæ propter divinam revelationem; & iterum divinæ revelationi, propter auctoritatem Eccleſiæ. Si enim a Fideli quæratur: cur credis, Deum eſſe Trinum? Reſpondebit: quia hoc mihi dictat Eccleſia, eſſe credendum, ut revelatum. Et ſi rurſus ab eo quæratur: unde ſcis, Eccleſiæ eſſe credendum? Reſpondebit; quia Deus, qui verax eſt, hoc revelavit; ergo probabit revelationem per Eccleſiam, & iterum Eccleſiam per revelationem, & circulum vitioſum committit.

XXXIX. Hoc argumentum, quod adeo magnificant Heterodoxi, quodque ſolutum fuit in *Vera Eccleſia Tom.* 1. *cap.* 1. §. 1. *nu.* 13. retorquetur evidenter in ipſos, volentes in ſpiritum privatum fidem reſolvi. Si enim Calviniſta, vel Lutheranus

nus interrogetur: quare credis hoc? Reſpondebit: quia ſpiritus mihi dictat, hoc eſſe a Deo revelatum. Si autem iterum interrogetur? Unde ſcis, hunc tuum ſpiritum verum dicere? Reſpondebit: quia hoc eſt revelatum. Ecce circulum a revelatione, ſeu Scriptura ad ſpiritum, & ſpiritus ad Scripturam.

Reſpondeo ergo, negando, a nobis committi circulum vitioſum. Is enim eſt, quando uniformiter, & eodem modo probatur unum per aliud, & viceverſa; non vero quando difformiter, & diverſo modo proceditur. Sic in caſu. Credimus enim auctoritatem Eccleſiæ, propter Scripturam, & revelationem a priori, tamquam propter cauſam, ex qua Eccleſia habet auctoritatem: credimus autem, hoc eſſe revelatum a Deo in Scriptura, propter auctoritatem Eccleſiæ a poſteriori tamquam ex ſigno applicante, & oſtendente nobis ea, quæ in Scriptura revelata ſunt, & diſcernente veram a falſa revelatione. Quare in rigore ſermonis *per Eccleſiam* credimus, quia eſt medium nobis oſtendens, quid credere debeamus: non vero *propter Eccleſiam*, quia Eccleſia non eſt cauſa, cur credamus. Sed hæc ſatis.

D U B I U M III.

An Revelatio Privata faciat, Objectum Revelatum eſſe credendum Fide Theologica?

§. I.

Explicatio Dubii.

I. Revelatio poteſt eſſe privata dupliciter. Primo. Quia communiter non proponitur Eccleſiæ, ſed ſolum in particulari alicui perſonæ a Deo fit; eſt tamen de re cedente in gloriam Dei, & bonum commune Eccleſiæ: quo pacto revelatio dicitur privata ſolum ſecundum quid, ratione modi revelandi, non vero ſimpliciter, & ex parte rei revelatæ. Alio modo dici poteſt privata, etiam ex parte rei revelatæ; ideſt, quando id, quod revelatur, nec proponitur Eccleſiæ, nec cedit in bonum commune illius. Ut ſi Deus mihi revelaret, quot ſtellæ ſint in Cælo, vel quot grana arenæ in mari.

II. Suppono ergo, ut certum apud omnes, quod ſi revelatio ſit tantum privata ratione modi, qua ſcilicet non proponitur per Eccleſiam; ſed Deus ſupplens rationem proponentis certificet perſonam privatam, cui revelat, ſe eſſe, qui revelat, & qui proponit revelationem credendam: res revelata credenda erit fide divina, & catholica, qua cætera credimus, ab eo, cui fit talis revelatio. Et Probatur. Quia in hoc caſu nil deficit, ut res ita revelata ſit objectum materiale fidei divinæ. Non enim deficit ratio formalis *ſub qua*, nempe, revelatio primæ veritatis in dicendo: non ratio, *qua*, quia ſupponimus, eſſe de aliqua re divina, vel in Scriptura contenta, vel ſaltem cedente in honorem Dei, & utilitatem Eccleſiæ: materia autem fidei divinæ eſt res divina innixa teſtimonio Dei.

Rurſus: tales revelationes ſolum dicuntur privatæ, quia ab Eccleſia communiter non proponuntur, cum tamen ex parte materiæ fidem communem contineant: ſed non proponi ab Eccleſia, non variat eſſentialiter fidem. Tum quia: ut dictum eſt, propoſitio Eccleſiæ non eſt ratio formalis credendi, ſed ſolum applicatio credibilitatis, & conditio ad credendum. Tum quia: Prophetæ, & Apoſtoli habuerunt eamdem fidem, quam nos: & tamen non crediderunt per propoſitionem Eccleſiæ, ſed Dei per ſeipſum proponentis. —— Rurſus: multi in Scripturis laudantur, quia privatis revelationibus crediderunt, ut Abraham, & B. Virgo; multi etiam vituperantur, quia tardi fuerunt ad credendum, inter quos Zacharias, *Luca* 1. *v.* 20.

III. Nec refert, quod fides divina inclinare debet omnes ad credendum: quod autem uni tantum revelatur, non inclinat omnes Fideles.

Nam dico, quod fides, quantum eſt ex ſe, inclinat omnes ad credendum: poteſt tamen de facto non inclinare omnes, quia non omnibus facta fuit propoſitio. Unde in caſu, quo uni tantum facta foret revelatio, ille ſolus teneretur credere, non autem omnes; donec Deus per Eccleſiam ſuam, omnibus illam proponeret. Quare, quamvis multis Sanctis viris, ac feminis factæ legantur privatæ revelationes, a Deo factæ de de rebus etiam ad bonum Eccleſiæ ſpectantibus; non tamen ab omnibus, ut divinæ ſunt ſuſcipiendæ, nec revelata per eas fide divina ſunt credenda: quia ut divina, & ut a Deo revelata, ab Eccleſia non proponuntur.

Difficultas eſt de revelationibus, quæ privatæ ſunt, non ſolum quia fiunt privatæ perſonæ, ſeu ratione modi; ſed quæ etiam privatæ ſunt ex parte rei revelatæ: quia res revelata non cedit in commune bonum Eccleſiæ. In quo diſcordes invenio Doctores.

§. II.

Reſolutio.

IV. Dico. Verius exiſtimo, revelationem privatam, etiam ex parte rei revelatæ, eſſe credendam ab eo, cui fit, fide divina theologica: & conſequenter quæcumque revelantur a Deo, eſſe objectum materiale fidei divinæ. Probo. Quia ubicumque eſt eadem ratio formalis objecti, ibi & idem ſpecie habitus: ſed eadem eſt ratio eſſentialis aſſentiendi omnibus quæcumque revelantur a Deo; ſive privato homini, ſive toti Eccleſiæ; ſive bonum commune, ſive privatum concernant, nempe, prima veritas revelans; ergo eodem habitu &c.

Maj. videtur certa. Nam in ſcientiis, ubi eſt eadem ratio formalis ſcibilis, etſi objecta materialia diverſa ſint, ibi eſt unus ſpecie habitus ſcientiæ.

V. Neque reſponderi poteſt, quod objectum formale fidei divinæ theologicæ non ſit prima veritas revelans quodcumque: ſed ſolum revelans ea, quæ per ſe pertinent ad Chriſtianam Religionem;

Nam contra eſt. Nam eſto objecta materialia fidei divinæ, quaſi principalia, ſint ea, quæ Chriſtianam religionem concernunt, & quibus homines ad Dei fruitionem ordinantur: nihil tamen prohibet, quin ſub objecto divinæ fidei cadant ſecundario aliqua etiam, quæ eſto per ſe ad talem finem non ordinentur, ſub eadem tamen divina revelatione cadunt. Nam multa etiam revelantur in Sacra Scriptura, quæ certe ad noſtram ſalutem per ſe non ſpectant; ut canis præcedens Tobiam juniorem, Hedera Jonæ; multa etiam flagitioſa, quæ ab aliquibus commiſſa narrantur: quia tamen omnia ſub eadem divina revelatione concluduntur, eadem fide divina theologica creduntur; ut qui ea nollet credere, etſi alia crederet, vere hæreticus, & Deo diſcredens haberetur, quia Deo revelanti nollet aſſentiri. Sicut ergo eadem fide humana aſſentimur homini quæcumque revelanti: ita eadem fide divina aſſentimur Deo quæcumque revelanti. Unde D. Thom hac q. 1. art. 1. ad 1. *Ea* (inquit) *quæ pertinent ad humanitatem Chriſti, & ad Sacramenta Eccleſiæ, vel ad quaſcumque creaturas, cadunt ſub fide, in quantum per hæc ordinamur ad Deum, & eis aſſentimur propter divinam veritatem.*

VI. Sed dices primo. Fides Chriſtiana innititur revelationi factæ Apoſtolis, & Prophetis, qui Canonicos libros ſcripſerunt. Unde D. Thom. 1. *p. q.* 1. *art.* 8. *ad* 2. ait: *Innititur enim fides noſtra revelationi Apoſtolis, & Prophetis factæ, qui Canonicos libros ſcripſerunt: non autem revelationi, ſi qua fuit aliis Doctoribus facta.*

Reſpondeo. S. Thom. citato loco non negare revelationes privatis hominibus factas pertinere ad fidem divinam reſpectu eorum, quibus fiunt: ſed ſolum negare, eas obligare omnes ad aſſentiendum, tamquam a Deo revelatis. Cum enim non conſtet, an revelationes, quæ aliis, quam Prophetis, & Apoſtolis fiunt, vel factæ ſunt, ſint vere divinæ; hinc eſt, quod non omnes ſtatim obligentur ad credendum quodlibet per eas revelatum, quouſque, vel per Eccleſiam, vel alio modo, ut revelatum, & credendum non proponatur. Quapropter quamvis S. Catharina Senenſis revelationibus ſibi a Deo factis aſſentiretur per fidem infuſam; non omnes tamen tenentur, illis fide infuſa credere, quia ut credendæ ab omnibus non proponuntur. Idque propterea, vel quia incertum eſt, quæ revera fuerint illi divinitus factæ: vel quia non erant de re, quam ab omnibus credi oporteat.

VII. Dices ſecundo. Nil cadit ſub fide divina theologica, niſi in ordine ad Deum, prout ſcilicet per illud adjuvatur ad tendendum in divinam fruitionem; ergo ſi quædam divinitus revelentur non habentia ordinem ad divinam fruitionem, hæc non cadent ſub fide &c.

Reſpondeo, diſt. ant. Tamquam primario, & per ſe intentum, conc. ant. Tamquam ſecundario, & per accidens, neg. ant. Nihil ergo poteſt cadere ſub fide, tamquam per ſe pertinens ad objectum fidei, niſi per quod homo ad beatitudinem ordinatur. Per accidens autem, & ſecundario multa alia cadunt ſub fide; ſicut quod Abraham habuit duos filios, quod David fuerit filius Iſai, ut docet S. Thom. hac *quæſt.* 1. *artic.* 6. *ad* 1. & *q.* 2. *artic.* 5. *in corp.* ubi ait: *Per accidens autem, aut ſecundario ſe habent ad objectum fidei omnia, quæ in S. Script. divinitus tradita continentur, ſicut quod Abraham habuit duos filios, quod David fuit filius Iſai, & alia hujuſmodi.*

VIII. Dices tertio. Si quis aſſentiretur Deo ipſi revelanti, quot ſtellæ ſint in Cælo, & quot grana arenæ in Mari, talis aſenſus nullo modo a fide divina infuſa eſset; quia pure naturalis, & de re naturali, nullum ordinem dicens ad Deum auctorem ſupernaturalem: habitus autem fidei, & omnis ejus actus ſupernaturalis eſse debet.

Confirm. Si Deus præfatas veritates revelaret alicui Infideli; & is Deo revelanti aſentiretur, talis aſenſus a fide non eſset, quam Infidelis non habet; nec illi fidei habitum Deus infunderet, alias eſset Fidelis quoad illud, & Infidelis quoad cæteras veritates, quas Deus revelavit: quod eſse inpoſſibile, inferius oſtendemus.

IX. Reſpondeo, nego ant. Quod inſtatur in aſenſu, quo multa naturalia revelata in Scripturis, ut ſupra dictum eſt, a nobis creduntur: qui tamen ſupernaturalis eſt, & actus fidei divinæ. Et ratio eſt: quia eſto res naturalis revelata a Deo ſit naturalis in eſſe entis; dum tamen, non medio naturali, ſed divina revelatione, tamquam ratione formali, cognoſcitur, evadit in ratione objecti ſupernaturalis, & actum fidei ſupernaturalis terminare poteſt.

X. Ad Confirm. dico, eamdem inſtantiam fieri poſſe, ſi Deus alicui Infideli revelaret aliquam veritatem ſupernaturalem, quo pacto adventum Chriſti revelaſſe creditur Sybillis. Dicendum ergo videtur in utroque caſu, aliam eſſe rationem de revelatione alicujus veritatis, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis facta Fideli, ac Infideli. Nam ſi fiat jam Fideli, cum iſte habeat habitum fidei circa alia, eodem habitu poteſt ſe extendere ad credendum id, quod noviter ſibi revelatur: ſicut ſe extendit ad credendum id, quod noviter ab Eccleſia proponitur, ut revelatum. At Infidelis, cui privata revelatio fieret, cum non habeat fidei habitum, nec illi habitus fidei infundatur, quia hic non datur ad unam tantum veritatem, ſed ad omnes ſaltem in præparatione animi, quod in caſu præſenti non ſupponitur; dico, quod revelationi

tioni ſibi privatim factæ aſſentiatur, aſſenſus ille, vel eſſet a prophetia, ſeu alio lumine ſupernaturali, per modum tranſeuntis communicato: ſicut ad lumen propheticum revelationem Sybillis factam credimus pertinuiſſe. Quæ probabiliter dicta ſint.

Dubium IV.

An Aſſenſus Fidei ſit Complexus, & an Diſcurſivus?

§. I.

Reſolvitur prima Pars.

I. Certum eſt ex D. Thom. hoc *art.* 2. fidem divinam ex parte objecti formalis, & rei creditæ eſſe aliquid incomplexum; eſt enim veritas prima, quæ cum ſit ſumme ſimplex, & omni carens compoſitione, quid incomplexum eſt.

Nec valet meditatio Durandi diſtinguentis in objecto fidei id, de quo creditur, & id, quod de illo creditur, & dicentis, quod licet id, de quo creditur, nempe Deus, ſit aliquid incomplexum, prædicatum tamen, quod de illo creditur, eſt aliquid complexum: qui enim credit, Deum eſſe Trinum, non credit Deum, ſed complexum ex Deo, & prædicato Trinitatis.

II. Non inquam valet. Nam licet, dum credo Trinitatem, credam, Deum eſſe Trinum: attamen ex parte rei creditæ Deus, & Trinitas non ſunt aliquid complexum, ſed omnino ſimplex; cum inter Deitatem, & Trinitatem, ac cætera ejus prædicata detur ſumma identitas ex parte rei; ergo fides tam ex parte ſubjecti, de quo credit, quam objecti, quod credit, prorſus incomplexa eſt. Quæſtio eſt de fide ex parte credentis.

III. Dico primo. Fides ex parte hominis credentis, ſeu aſſenſus non eſt actus ſimplex, ſed complexus, & enunciativus. Ita S. Thom. hoc *art.* 2. & Prob. Fidem aſſentiri Deo revelanti Trinitatem, nil aliud eſt, quam affirmare, Deum eſſe Trinum: ſed affirmatio, & negatio in nobis eſt actus complexus, quo componimus prædicatum cum ſubjecto; ergo &c.

Confirmatur: Modus proprius intellectus humani eſt, ut componendo, & dividendo, veritatem cognoſcat; & ideo ea, quæ ſunt ſecundum ſe ſimplicia, cognoſcit ſecundum quamdam complexionem. Sicut e contra intellectus divinus etiam compoſita, & complexa incomplexe cognoſcit: *Cognita* (inquit S. Thom. hic art. 2.) *ſunt in cognoſcente ſecundum modum cognoſcentis. Eſt autem modus proprius humani intellectus, ut componendo, & dividendo, veritatem cognoſcat .... Et ideo, quæ ſunt ſecundum ſe ſimplicia, intellectus humanus cognoſcit ſecundum quamdam complexionem: ſicut e contra intellectus divinus incomplexe cognoſcit ea, quæ ſunt ſecundum ſe complexa.* Dum ergo intellectus humanus aſſentitur huic veritati, *Deus eſt Trinus*, non aliter facit, quam componendo hoc prædicatum *Trinus* cum hoc ſubjecto *Deus*.

IV. Sed dices. Idem eſt intellectus humanus credens Deo dicenti, ac videns Deum in ſe per lumen gloriæ: ſed videns Deum, videt actu ſimplici, & incomplexo.

Reſpondeo; quod licet intellectus humanus videns Deum, & credens ſit idem quoad ſubſtantiam, eſt tamen in modo intelligendi diverſus. Nam videns Deum, videt per divinam eſſentiam, quæ eſt ſpecies ſimul repræſentans ei Deitatem, & omnia divina: & ideo unico, ac ſimplici intuitu omnia videt, Deitatem, Trinitatem, & omnia. At in hoc ſtatu ſpecies abſtractive repræſentans Deitatem, non repræſentat Trinitatem, ſed alia eſt ſpecies unum repræſentans, ac alterum. Et ideo ut dictam veritatem cognoſcat, debet illas duas ſpecies ſimul conjungere, ac ſimul componere, & dicere: Deus eſt Trinus. Videatur S. Thom. hoc *art.* 2. *ad* 3.

V. Quæres: An Angeli, quando fuerunt in ſtatu viæ, crediderunt actu ſimplici, an complexo, ſicut nos?

Reſpondeo; crediidiſſe actu ſimplici. Nam gratia non deſtruit modum proprium naturæ; ſed eam perficit ſecundum modum ſuum: at modus naturalis cognoſcendi in Angelo non eſt per compoſitionem, ſed ſemplici intuitu, ut in Tract. de Angelis vidimus; ergo dum credebant, ſimplici intuitu credebant: & Deus illis infundebat ſpecies non ſolum repræſentantes ſubjectum, ſed etiam prædicatum, & totum enunciabile; ut Angelus ſimplici, ac uno intuitu, & actu poſſet credere, quæ ei revelabat.

§. II.

Reſolvitur Secunda Pars.

VI. Dico ſecundo. Aſſenſus fidei, ſeu credere, non fit formaliter per diſcurſum. Eſt contra quoſdam volentes credere fieri per diſcurſum, in quo divina revelatio ſit medium: ita ut, dum quis aſſentitur divinæ revelationi, puta, de Incarnatione, formet hunc actum, quidquid Deus revelavit, vere exiſtit: Deus revelavit, Incarnationem exiſtere; ergo Incarnatio vere exiſtit.

Probatur tamen Aſſertio primo ſic. Cum fides ſit virtus theologica, motivum formale adæquatum credendi debet eſſe divinum, nempe, divinum teſtimonium; ita ut adæquate propter hoc, & non propter aliud, quis ad credendum moveatur: at ſi credere habetur per diſcurſum, motivum adæquatum credendi non erit teſtimonium divinum, ſed connexio inter teſtimonium divinum, & exiſtentiam rei creditæ, quæ ſaltem inadæquate diſtinguitur a teſtimonio divino; ergo &c. Sicut ergo homo credit homini immediate, & unice ob teſtimonium hominis: cur homo non credit Deo unice ob teſtimonium Dei? Maj. patet. Quia in quocumque diſcurſu motivum aſſentiendi concluſioni, non eſt medium, ſed connexio concluſionis cum medio.

VII. Probatur ſecundo. Aliquis aſſenſus fidei habetur ſine diſcurſu; ergo omnis: non enim poteſt aliquis habitus eſſe diſcurſivus quoad aliquos actus, & quoad alios non, cum in omnibus eumdem modum procedendi ſervare debeat. Ant. probatur. Ponamus diſcurſum, ex quo Adverſarii volunt, procedere actum fidei, qui talis eſt: *Quidquid Deus revelavit, vere exiſtit: ſed Deus revelavit Trinitatem; ergo Trinitas vere exiſtit.* In hoc diſcurſu minor propoſitio, nempe, *Deus revelavit Trinitatem*, vere creditur per fidem: & tamen non creditur per diſcurſum. Quod ſic probo. Si enim creditur per diſcurſum; ergo creditur per diſcurſum procedentem ex alia propoſitione credita per fidem, de qua quæram: an habeatur per diſcurſum, vel non? Si non; ergo jam habeo actum fidei ſine diſcurſu. Si ſic; jam abibimus in infinitum.

VIII. Dices. Qui credit ob teſtimonium Dei, reducere debet ultimo fidem ſuam in hoc principium naturaliter cognitum: *Prima veritas, nec falli, nec fallere poteſt.*

Si reſpondeatur; diſt. ant. Ultimo, tamquam in præambulum ad fidem, conc. antec. Tamquam in conſtitutivum aſſenſus fidei, nego ant. Diſcurſus præfatus admititur quidem, tamquam præambulum ad fidem, non tamen tamquam formaliſſimus aſſenſus fidei. In actu enim aſſenſus ceſſat omnis diſcurſus, & qui credit, unice credit, quia Deus dicit, & propter teſtimonium Dei, cui unice innititur, non vero diſcurſui humano: ſimili modo, quo Eccleſia Catholica ſe gerit in deciſionibus fidei. Priuſquam enim decernat, convocatis Doctoribus, diſcutit, examinat materias, & diſcurſive procedit. Cæterum in ipſa formali definitione, ſemoto diſcurſu, declarat illam, ut a Spiritu Sancto revelatam, juxta formam decreti, qua Apoſtoli Act. 15. v. 28. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Quare Fidelis dum utitur præfato diſcurſu, non ſe gerit formaliter ut credens, & ut Fidelis, ſed ut Theologus.

IX. Sed inſtabis. Qui negaret concluſionem illatam ex præfato diſcurſu, eſſet formaliter hæreticus: ſed ſola negatio aſſenſus fidei, non autem mere Theologici, conſtituit formaliter hæreticum; ergo &c.

Reſpondeo, diſt. maj. Qui negaret illam, ut illatam, eſſet &c. nego maj. Illam, ut nixam præciſe teſtimonio divino, conc. maj. Quia ergo propoſitio de fide, & poteſt inferri ex diſcurſu præfato, & credi ex puro teſtimonio divino: ideo qui illam negaret, eſſet hæreticus, cum negaret propoſitionem, quæ eſt de fide; non tamen quia aſſentiri nollet illationi: ſeu illi, ut illatæ (ſic enim potius ſpectat ad Theologiam) ſed quia negando illam, ut illatam, cenſeretur, nolle aſſentiri eidem, ut nixæ teſtimonio divino, quo pacto ſpectat ad fidem.

X. Dices ſecundo. Procedere diſcurſive eſt procedere ex cauſa: ſed actus fidei procedit ex cauſa: cum enim qui credit, credat, quia Deus dicit, habet pro cauſa ſui aſſenſus divinum teſtimonium; ergo &c.

Reſpondeo, diſt. min. Quia Deus dicit, ly *quia* dicente principium *quod*, ex cujus aſſenſu procedat ad credendum, nego min. Ly *quia* dicente rationem ſub qua, ſeu qua immediate credit, conc. min. & neg. conſeq. Ad diſcurſum enim requiritur, ut uno actu attingatur cauſa, cognita ratione connexionis procedatur ad cognitionem effectus. Ut enim attingam, hominem eſſe riſibilem ex rationalitate ut ex cauſa, debeo uno actu attingere, ut *quod*, rationalitatem, & deinde alio actu diſcurrere ad riſibilitatem. Qui autem credit, quia Deus dicit, non prius cognoſcit divinum dictum, & deinde procedit ad credendum; ſed uno, eodemque actu attingit, ut *quod*, myſterium revelatum, & *ut quo*, ipſam revelationem. Sic viſus attingit colorem, quia lucidum, quatenus eodem actu attingit colorem, ut rem viſam, & lucem, ut rationem videndi.

XI. Sed replicabis. D. Thom. ſæpe docet, teſtimonium divinum ſe habere in fide, ſicut principium in ſpeculativis. — Reſpondeo, dictum S. Thomæ intelligendum eſſe, non ſervata æqualitate, ſed proportione: quatenus ſicut principium eſt ratio aſſentiendi concluſioni; ita divinum teſtimonium eſt ratio aſſentiendi rei revelatæ: non tamen, quod ſit principium, ut quod cognitum, præcedit aſſenſus concluſionis: ita divinum teſtimonium, ut quod creditum, præcedat aſſenſum rei revelatæ.

XII. Quæres: An fides ſit diſcurſiva diſcurſu ſaltem virtuali, & objectivo?

Reſpondeo negative. Cum enim divina revelatio non ſit cauſa rei revelatæ, ſed pura atteſtatio, neque Fidelis credens proſpiciat ullam colligationem inter revelationem, & rem revelatam, ſed revelatio ſit quaſi lux, ſub qua rem revelatam cognoſcit; & Fidelis immediate credat ratione divini teſtimonii: ideo ſicut oculus videndo colores, media luce, non diſcurrit virtualiter etiam ex parte objecti; ita neque fides credendo ratione divini teſtimonii.

Dubium V.

An Fidei Infuſæ poſſit per ſe, ſive per accidens, ſubeſſe Falſum?

§. I.

Prioris Partis Reſolutio.

I. Dico primo. Fides per ſe, & ratione objecti non poteſt inclinare in falſum. Ita S. Thom. hic *art.* 3. & prob. primo. Virtus intellectualis non poteſt eſſe principium aſſenſus falſi: ſed fides eſt quædam virtus intellectualis, ut probat S. Thom. hac 2. 2. *quæſt.* 4. *art.* 5. ergo non poteſt eſſe per ſe principium aſſenſus falſi. Maj. probatur. Tum quia, de ratione virtutis eſt bene diſponere ſubjectum: non autem bene diſponeret, ſi per ſe diſponeret ad falſum, quod eſt malum intellectus, ſicut ejus bonum eſt verum. Tum quia: nulla virtus appetitiva, & moralis poteſt eſſe principium actus vitii ſuo objecto contrarii; ergo a pari.

II. Prob. ſecundo ratione S. Thomæ. *Nihil ſubeſt alicui potentiæ, vel habitui, aut etiam actui, niſi mediante ratione formali objecti: ſicut color videri non poteſt, niſi per lucem, & concluſio ſciri non poteſt, niſi per medium demonſtrationis: ſed ratio formalis objecti fidei eſt veritas prima*, ut dictum eſt; ergo *nihil poteſt cadere ſub fide, niſi in quantum ſtat ſub veritate prima.* Sed ſub veritate prima *nullum falſum ſtare poteſt, ſicut nec non ens ſub ente, nec malum ſub bonitate*; ergo fidei non poteſt per ſe ſubeſſe aliquod falſum.

Nec obeſt, quod potentiæ ad verum non ſemper ſubſit verum in re, ſicut nec potentiæ ad bonum ſemper bonum in re; ſed aliquando verum, & bonum apparens: hoc enim contingit, quia objectum potentiæ non eſt determinate verum, vel bonum in re, ſed bonum, & verum abſtrahens a vero, & apparenti. At ratio formalis fidei non eſt id, quod vel eſt, vel apparet verum, ſed prima veritas revelans: unde conſequens eſt, nullum falſum, nec ſub ratione veri, cadere poſſe ſub aſſenſu fidei, ut inferius dicetur.

§. II.

Poſterioris Partis Reſolutio.

III. Statuto, fidem divinam ex parte objecti formalis, nempe, Dei revelantis, non poſſe inclinare in falſum, ſeu eſſe principium aſſenſus falſi; reſtat modo videndum; an ſaltem ratione applicationis, & propoſitionis rei credibilis poſſit aliquis actus procedere, qui ſimul ſit fidei, & erroneus, vel falſus. Et hoc eſt, fidei, ſaltem per accidens, poſſe ſubeſſe falſum.

IV. Dico ſecundo. Nullo modo, nec etiam ex ignorantia invincibili, poteſt id, quod falſum eſt, cadere ſub fide divina: unde ſi quis ex ignorantia, etiam invincibili, crederet tamquam de fide id, quod falſum eſt; illud non crederet fide divina infuſa, ſed fide humana acquiſita. Probo ratione D. Th. ſuperius allata. Nullus habitus poteſt, etiam per accidens, attingere ut objectum materiale id, quod nullo modo cadit ſub ejus ratione formali; ſicut nulla cauſa poteſt, adhuc per accidens, influere in effectum, qui nullo modo contineatur ſub ſphæra illius cauſalitatis: ſed nullum falſum poteſt cadere ſub ratione formali fidei divinæ: hæc enim eſt divinum teſtimonium, ſeu divina revelatio, ſub qua id ſolum cadere poteſt, quod poteſt eſſe a Deo revelatum; a Deo autem, qui eſt prima veritas, nihil falſum poteſt eſſe revelatum, ut inferius etiam probabitur; ergo nec per accidens &c.

V. Confirmatur primo. Sicut Deus infundit habitum fidei, quo credat homo ſupernaturalia; ita infundit naturæ rationali lumen naturale, quo naturalia cognoſcat: ſed ſi lumen naturale eſſet principium falſi aſſenſus, Deus, ut auctor naturæ, nos falleret; ergo proportionaliter nos falleret, ut auctor gratiæ, ſi fides infuſa nos quomodocumque ad falſum inclinaret. Secundo. Fides eſt virtus intellectualis; ergo, ut vidimus, non eſt indifferens ad verum, & falſum: hac enim ratione opinio, & ſuſpicio virtutes intellectuales non ſunt.

VI. Nec dicas, habitum fidei fore cauſam aſſenſus falſi, ſolum indirecte, & per accidens, nempe, ex indiſpoſitione ſubjecti.

Nam contra eſt. Sicut enim malitia repugnat ſummæ bonitati; ita falſitas primæ veritati: ſed ex quo Deus ſit ſumma bonitas, nequit infundere habitum, qui etiam indirecte, & ex defectu ſubjecti inclinet in malum, unde nequit homo uti habitu infuſo ad malum; ergo ex quo ſit ſumma veritas, nequit infundere nobis habitum, etiam indirecte inclinantem in falſum, ſeu quo quis uti poſſit ab aſſentiendum falſo. Ut enim ait S. Aug. lib. 2. de Lib. arb. cap. 19. *Virtute nemo male utitur: quia opus virtutis eſt bonus uſus iſtorum, quibus etiam non bene uti poſſumus.*

§. III.

Objectiones contra Poſteriorem Partem.

VII. Objicies primo. Aſſenſus fidei poteſt per modum præmiſſæ influere, ſaltem per accidens, in concluſionem falſam; ergo & habitus fidei poterit, ſaltem per accidens, influere in aſſenſum falſum. Conſ. videtur ſequi. Antec. prob. Poteſt enim formari ſyllogiſmus, in quo major præmiſſa ſit de fide, minor autem falſa; ut iſte. Concilium rite congregatum, & auctoritate Romani Pontificis approbatum non poteſt errare in rebus fidei: ſed hujuſmodi fuit Concilium Baſileenſe; ergo non erravit. In quo ſyllogiſmo major eſt de fide, & influit in concluſionem falſam, ratione minoris falſæ.

Confirmatur. Opinio falſa poteſt influere in aſſenſum verum; ergo viceverſa fides vera poteſt eſſe cauſa aſſenſus falſi. Ant. prob. Si quis falſo opinaretur, omne animal eſſe diſcurſivum, & ſtatim ſic procederet: Petrus eſt animal: ergo Petrus eſt diſcurſivus: tunc aſſenſus falſus, nempe, majoris, eſſet cauſa aſſenſus veri in concluſione.

VIII. Reſpondeo (omiſſis aliis ſolutionibus) neg. anteced. Ad prob. neg. ant. Quamvis enim concluſio in præfato ſyllogiſmo, quantum ad ſequelam logicam, referenda ſit in majorem præmiſſam; quantum tamen ad falſitatem unice referenda eſt in minorem. Major enim ſimul cum minori eſt quidem cauſa, cur aliquid ſequatur: quod autem ſequatur falſum, unice provenit ex minori falſa, quia concluſio ſequitur debiliorem partem.

IX. Ad Confirm. dico, non eſſe inconveniens, quod ex falſo in bona conſequentia ſequatur verum: eſſe tamen, quod ex vero ſequatur falſum, ut Dialectici docent. — Addo: quod licet ex falſo ſequatur verum ſequela logica, falſum tamen, ſaltem ut falſum, non poteſt phyſice influere in verum; ergo a pari fides, quæ eſt vera, nequit phyſice influere in aſſenſum falſum.

X. Objicies ſecundo. Habitus fidei poteſt inclinare ad aſſenſum practice falſum, ideſt, peccaminoſum; ut in caſu, quo quis ad credendum moveretur ob inanem gloriam; ergo etiam poterit inclinare in aſſenſum falſum ſpeculative.

Reſpondeo, neg. anteced. Aſſenſus autem ille ob inanem gloriam eſſet, non ab habitu fidei divinæ, & infuſæ, ſed potius acquiſitæ: quia cum actus fidei infuſæ ſit a Spiritu Sancto ſpecialiter movente, non poteſt ſpecialiter concurrere ad actum malum — Dato etiam antec. negari poteſt conſ. Quia ſi daretur actus fidei malus, malitiam non haberet a proprio objecto, ſed a circumſtantia ex parte credentis appoſita. At ſi daretur inclinatio fidei ad falſum, id conveniret ex objecto proprio: quia habitus non inclinat, niſi ad ea, quæ in ratione formali ſui objecti continentur.

XI. Objicies tertio. Prudentia infuſa, eſto ſit virtus, poteſt attingere aliquid exiſtimatum verum, eſto in re poſſit eſſe falſum; dictando ſcilicet, hoſtiam, quæ exiſtimatur conſecrata, eſſe adorandam; & religio illam poteſt, ac debet adorare, quamvis contingere poſſit, quod non ſit conſecrata, nec adoranda; ergo ſimiliter fides infuſa poteſt inclinare ad credendum aliquid exiſtimatum revelatum, & verum, quod tamen nec revelatum ſit, nec verum. Conſ. probat. Nam tam prudentia, quam fides eſt infuſa a Spiritu Sancto: fides in ordine ad finem, prudentia in ordine ad media.

Confirmat. Puer, vel idiota, cui a patre, vel a Parocho proponitur aliquid, ut de fide, & verum, quod vel nec verum, nec de fide eſt, illud credit fide divina: ſi enim non exiſtimaret, eſſe verum, & de fide divina, illud non crederet; ergo credit fide divina aliquod in re falſum.

XII. Reſp. admiſſo antecedenti, neg. conſ., & paritatem. Nam objectum prudentiæ non eſt verum in ſe, & ſpeculativum, ſed verum practicum, & conforme dictamini rectæ rationis: & quia id, quod in ſe, & ſpeculative verum non eſt, poteſt tamen eſſe verum practice, & conforme rationi rectæ; ideo prudentia poteſt circa illud, tamquam circa proprium objectum, verſari. Et hac ratione dictat, hoſtiam publice expoſitam eſſe adorandam; quia, cum ſupponat probabile judicium, quod ſit conſecrata, quamvis forte non ſit, recta ratio practice dictat, ut adoretur. At fides, cum nedum practica ſit, ſed ſpeculativa, nedum habet pro objecto aliquid exiſtimatum verum, ſed habet verum ſpeculative, & in re. Unde retorqueo argumentum. Sicut objectum prudentiæ debet eſſe verum practicum, ſic objectum fidei debet eſſe verum ſpeculative: ſed prudentia nequit inclinare in id, quod eſt practice falſum; ergo nec fides in id, quod eſt falſum ſpeculative.

Dixi, admiſſo antecedente: quia dici poſſet, quod eſto prudentia ſit, quæ dictat, hoſtiam rite conſecratam eſſe adorandam; prudentia tamen, quæ dictat, hanc hoſtiam, quæ præſentatur ut conſecrata, eſſe adorandam, eſt prudentia, quæ putatur infuſa, cum revera ſit humana. Sicut ait Div. Thom. hoc artic. 3. ad 4. *Quod fides credentis non refertur ad has ſpecies panis, vel illas: ſed ad hoc, quod verum corpus Chriſti ſit ſub ſpeciebus panis ſenſibilis, quando recte fuerit conſecratum: unde ſi non ſit recte conſecratum, fidei non ſubeſt propter hoc falſum.*

XIII. Ad Confirmat. vel nego, vel diſt. ant. Credit fide divina exiſtimata, conc. ant. Vera, & in re tali, nego ant. Puer ergo ille, vel idiota licet putaret, ſe credere fide divina, non tamen crederet in re; quia in re non eſſet revelatum, quod ei proponitur: nec enim Parochus, aut quilibet particularis eſt legitimum proponens res, ut de fide: ſolum ergo crederet fide humana, quamvis exiſtimata divina. Quare ſi talis idiota interrogetur: quare rebus a ſuo Paſtore propoſitis aſſentiatur: non reſpondebit: quia Deus revelavit, ſed quia ex dicto ſui Paſtoris exiſtimat, Deum revelaſſe. Si tamen ſibi a Paſtore propoſitis, ut revelatis, certo aſſentiatur; & vere revelata ſint, aſſentietur fide vere divina.

XIV. Sed dices. Idiota putans eſſe de fide id, quod ſibi a Paſtore proponitur, eſto non ſit, & diſcredens, peccat peccato hæreſis; ergo dum illud credit, credit fide vere divina.

Reſpondeo, neg. conſ. in tantum enim diſcredens peccat,

quia practice ex conſcientia invincibiliter erronea putat, diſcredere eſſe contra fidem; & tamen vult diſcredere. Ad peccandum autem contra fidem, ſufficit exiſtimare, aliquid eſſe de fide, & nolle illud credere. Verum ad habendum actum veræ fidei, non ſufficit revelatio exiſtimata, ſed debet eſſe in re talis. —— Addo: quod ille diſcredens eſſet hæreticus, non formaliter, ſed arguitive: quia dum exiſtimat, eſſe a Deo revelatum, & non vult credere, arguitur, eum eſſe ita diſpoſitum, ut nolit credere Deo revelanti.

XV. Objicies quarto. Non magis eſt virtus fides, quam ſpes, & charitas: ſed ſpei poteſt aliquid ſubeſſe falſum; multi enim ſperant, ſe habituros vitam æternam, quam non habebunt. Multi etiam per charitatem diliguntur tamquam boni, qui boni non ſunt; ergo &c.

Reſpondeo cum S. Thom. hoc *artic. 3. ad 1.* dupliciter. Primo. *Quod quia verum eſt bonum intellectus, non autem eſt bonum appetitivæ virtutis: ideo omnes virtutes, quæ perficiunt intellectum, excludunt totaliter falſum: quia de ratione virtutis eſt, quod ſe habeat ſolum ad bonum. Virtutes autem perficientes partem appetitivam non excludunt totaliter falſum. Poteſt enim aliquis ſecundum juſtitiam, aut temperantiam agere, habens aliquam falſam opinionem de eo, circa quod agit. Et ita cum fides perficiat intellectum, ſpes autem, & charitas appetitivam partem: non eſt ſimilis ratio de eis.*

Reſpondeo ſecundo cum eodem ibi, nego minor. Nam *neque etiam ſpei ſubeſt falſum. Non enim aliquis ſperat, ſe habiturum vitam æternam, ſecundum propriam poteſtatem (hoc enim eſſet præſumptionis) ſed ſecundum auxilium gratiæ; in quo ſi perſeveraverit, omnino, & infallibiliter vitam æternam conſequetur. Similiter etiam ad charitatem pertinet diligere Deum, in quocumque fuerit: unde non refert ad charitatem, utrum in iſto ſit Deus, qui propter Deum diligitur.*

XVI. Objicies quinto. Fides Antiquorum fuit, quod Chriſtus eſſet naſciturus, & hæc fides duravit in multis, uſque ad prædicationem Evangelii: ſed Chriſto jam nato, etiam antequam prædicare inciperet, falſum erat, Chriſtum naſciturum; ergo &c.

XVII. Reſpondeo cum S. Thom. hoc art. 3. ad 3. *Quod ad fidem credentis pertinebat poſt Chriſti nativitatem, quod crederet, eum quandoque naſci. Sed illa determinatio temporis, in qua decipiebatur, non erat ex fide, ſed ex conjectura humana. Poſſibile eſt enim ex conjectura humana, hominem fidelem falſum aliquod æſtimare: ſed quod ex fide falſum æſtimet, hoc eſt impoſſibile.* Hinc ſi fidelis Judæus, qui ante Chriſti Nativitatem fide infuſa credebat Chriſtum naſciturum, in hac credulitate manſiſſet etiam poſt Chriſtum natum; iſte actus, cum haberet diverſum objectum, non erat amplius idem, ſed diverſus: unus, qui ante Nativitatem eliciebatur, & hic erat ex fide infuſa: alter, qui Chriſto jam nato procedebat ex erronea opinione, quamvis inculpata. Neque enim poſt Chriſtum natum aſſentiebatur huic propoſitioni: *Chriſtus eſt naſciturus* (determinando tempus) ob teſtimonium Dei, ſed ob teſtimonium, quod putabat eſſe Dei.

D U B I U M VI.

An Deus in Se, vel in Natura Aſſumpta poſſit Mentiri, aut dicere Falſum?

§. I.

Explicatur Dubium.

I. AD magis ſtabilienda ea, quæ præcedente Dubio dicta ſunt, præſens inſtituitur quæſtio. Cum enim probaverimus, fidei non poſſe ſubeſſe falſum, quia nititur teſtimonio Dei ſumme veraci, ac vero, hoc, quod veriſſimum eſt, ſtabilito, magis apparebit Chriſtianæ fidei, ac religionis certitudo.

II. Pro intelligentia igitur noto: aliud eſſe mentiri, aliud dicere falſum. Nam mentiri eſt contra mentem ire: ideſt dicere, ſeu loqui aliter, & contra id, quod habetur in mente, vel ſcientia: quod eſt dictum non conformari menti, vel ſcientiæ. Falſum autem dicere, eſt, dicere quidem, ſicut qui dicit, habet in mente, & exiſtimat eſſe, ſed revera ita non eſt, ſicut dicit; quod eſt, dictum non conformari cum re. Propterea poteſt quis non mentiri, & tamen falſum dicere; & poteſt verum dicere, & tamen mentiri. Exemplum primi eſt. Si Petrus currat, & Paulus exiſtimans non currere, vi hujus æſtimationis dicat: Petrus non currit; non mentitur, quia conformat dictum cum eo, quod habet in mente: & tamen falſum dicit, quia ejus dictum non conformatur cum eo, quod in re, ſeu revera eſt. Exemplum ſecundi eſt. Si Petro currente, quis habens falſam æſtimationem, quod non currat, contra hanc dicat: Petrus currit; iſte dicit verum, quia ejus dictum conformatur cum re: mentitur tamen, quia ejus dictum non conformatur cum ejus mente. Quod egregie explicavit S. Aug. *in Ench. cap.* 18. his verbis: *Nemo mentiens judicandus eſt, qui dicit falſum, quod putat eſſe verum: quoniam quantum in ipſo eſt, non fallit ipſe, ſed fallitur.* Ex quibus patet, quod mentiri eſt idem, ac *fallere*; falſum autem dicere, idem eſt, ac *falli*. Videndus eſt S. Th. 2. 2. *qu.* 110. *art.* 1. Ubi inter alia docet, mendacium duo dicere: nimirum, voluntatem falſum dicendi, & voluntatem falſum in alio imprimendi. Unde ſi quis falſum dicat, ſine voluntate tamen falſum dicendi, & falſum in mente alterius imprimendi, non erit mendax.

III. Priſcillianiſtæ ſic dicti a Priſcilliano Epiſcopo Abulenſi eorum Duce, contra quos S. Aug. ſcripſit *L. contra Mendacium*, de quibus & nos *Tom.* 1. *in* 1. 2. aliqua diximus: ut ſtatuerent, licitum eſſe mentiri, etiam cum juramento, ob ſervandum ſecretum, qui erat palmaris eorum error; dicebant, Deum auctorem eſſe mendacii, & aliquando eſſe mentitum. Quidam vero etiam Catholici, eſto non aſſeveraverint, Deum eſſe mentitum; poſſe tamen abſolute mentiri, dicere auſi ſunt: qui propterea ab omnibus veluti in horrore habentur. Dubium igitur præſens duas partes complectitur: unam, an Deus poſſit mentiri in natura divina ſubſiſtens: alteram, an ſaltem in humana.

§. II.

Prima Aſſertio Catholica.

IV. DIco primo. Deus nunquam mentitus eſt, aut falſum dixit; imo nec mentiri, aut falſum dicere poteſt. Utraque pars prob. primo ex Scriptura Num. 23. v. 19. *Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur.* Et *Hebr. 6. v.* 18. dicit Paulus, quod Deus volens oſtendere immobilitatem conſilii ſui: *Interpoſuit juſjurandum. Ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt, mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus.*

In hanc veritatem conſpirant SS. Patres aſſerentes, tam eſſe impoſſibile Deum mentiri, quam Deum non eſſe, aut non eſſe omnipotentem. Athanaſius *l. de Incarn. Verbi* ait, abſurdum eſſe dicere, Deum poſſe mentiri: ſi enim dixit, quod perituri ſumus, non eſſet Deus, ſi non periſſemus. Anſelmus l. 1. cur Deus homo c. 12. *Non ſequitur, ſi Deus vult mentiri, juſtum eſſe mentiri, ſed potius, Deum illum non eſſe.* Aug. etiam l. 1. de Symbolo c. 1. *Deus* (inquit) *omnipotens eſt, & cum ſit omnipotens, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt. Quam multa non poteſt, & omnipotens eſt? Et ideo eſt omnipotens, quia non poteſt. Nam ſi mori poſſet, non eſſet omnipotens. Si mentiri, ſi falli, ſi inique agere, non eſſet omnipotens: quia ſi hoc in eo eſſet, non fuiſſet dignus, qui eſſet omnipotens.* Unde Ambroſius Ep. 27. ait: *Impoſſibile iſtud, non infirmitatis, ſed virtutis eſt, & majeſtatis: quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus levitatis errorem.* Hoc idem S. Thom. *in* 2. *ad Timot.* 2. *Lect.* 2.

V. Probatur autem primo ab inconvenienti. Si Deus mentiri poteſt, ruit prorſus noſtræ fidei certitudo, quæ ut diximus, unice nititur ejus teſtimonio. Quis enim ſcit, eum de facto tali potentia uſum non fuiſſe, ob aliquam ſibi notam cauſam, & nobis ignotam, & occultam? —— Dices, Deum revelaſſe, ſe nunquam mentiturum —— At ſi Deus in hac ſua reflexa revelatione mentiri potuit: quis certus eſt, ipſum de facto mentitum non fuiſſe? Unde S. Auguſtinus ſcribens S. Hieronymo, qui admittebat, S. Petrum officioſo quodam mendacio, & ſimulatione fuiſſe a S. Paulo reprehenſum. *Epiſt.* 17. modo 39. c. 3. ait: *Si enim ad Scripturas Sanctas admiſſa fuerint velut officioſa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? Quæ tandem de Scripturis illis ſententia proferetur, cujus pondere contentioſæ falſitatis obteratur improbitas? Statim enim, ut protuleris; ſi aliter ſapit, qui contra nititur, dicet, illud, quod prolatum erit, honeſto aliquo officio Scriptorum fuiſſe mentitum. Ubi enim hoc non poterit, ſi potuit in ea narratione, quam exorſus Apoſtolus ait:* Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior: *Credi, affirmarique mentitus, eo loco dixit de Petro, & Barnaba.* Cum viderem, quia non recte ingrediuntur ad veritatem Evangelii?

VI. Probatur ſecundo a priori. Deus eſt prima veritas in cognoſcendo, & in dicendo, ſicut eſt primum ens, & prima bonitas, ſed quia eſt primum ens, in Deo nequit ſtare non ens, & quia eſt prima bonitas, in eo nequit ſtare malitia; ergo quia prima veritas in cognoſcendo, nequit in eo ſtare falſitas; & quia prima veritas in dicendo, nequit in eo eſſe mendacium. Si enim mentiri, & falſum dicere eſt deviare a veritate; quomodo poteſt deviare a veritate, qui eſt prima veritas? Sicut quomodo poteſt deviare ab eſſe, qui eſt ipſum eſſe, & a bonitate, qui eſt ipſa bonitas? Igitur *negare ſeipſum non poteſt*, ut ait Paulus, 2. *ad Timoth.* 2. *v.* 14.

VII. Dices tamen. Deus quamvis ſit primum ens immobile, ſumma beatitudo, & vita per eſſentiam, poteſt eſſe cauſa non entis, annihilando, mutationis, miſeriæ, & mortis; ergo quamvis ſit prima veritas, poteſt eſſe cauſa falſitatis, & mendacii.

Reſpondeo, neg. conſ. & diſparitas eſt. Quia mutabilitas, miſeria, mors opponuntur quidem bono creato, in quo ſunt, & cujus ſunt privationes; ſed non opponuntur bono divino, nempe enti per eſſentiam immutabili, beato, & viventi. At falſitas, & mendacium opponuntur veritati, ac veracitati divinæ, nempe, judicio certo, & recto, illudque deſtruunt, ubicumque exiſtat: ideoque falſitas, & mendacium non poſſunt eſſe a Deo ſumma veritate, ſicut nec peccatum a Deo ſumma bonitate. Quod autem Deus ſit omnipotens, non arguit, eum poſſe eſſe cauſam falſitatis, vel mendacii; ſed potius oppoſitum, ut ſupra diximus ex Auguſtino, & aliis Patribus; quia cum falſitas, & mendacium defectus ſint, non effectus, impotentiam potius arguunt, quam potentiam.

VIII. Argui poſſet, mendacium non eſſe intrinſece malum, & proinde a Deo eſſe poſſe. Sed oppoſitum oſtendimus, *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Quæſt.* 3. *de Actuum hum. mor. Dub.* 7. §. 2. & 3. quo Lectorem remitto.

IX. Objicitur præterea, Deum poſſe decipere. *Job.* 12. *verſ.* 24. Qui *immutat cor Principum populi terræ, & decipit eos... & errare eos facit, quaſi ebrios*, Poſſe ſeducere, Jerem. 20. verſ. 7. *Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum.* Quo ſpectant illud Ezechiel. 14. v. 9. *Ego Dominus decepi Prophetam illum.* Et 3. Reg. 22. v. 23. *Dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum.*

Ad hæc, & ſimilia reſponſum eſt, *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Q.* 6. *de Cauſis peccat. act. Dub.* 2. §. 3. Deum dici decipere, fallere, errare, ſeducere &c. non quod in falſitatem, errorem, aut deceptionem inducat: ſed quia, vel facit aliquid, quod, etſi veram habeat ſignificationem, ex eo tamen accipiunt occaſionem errandi, qui eam non aſſequuntur: vel quia procurat ſucceſſus eorum conſiliis, & expectationi contrarios. Vel denique quia ob eorum peccata, lumen ſapientiæ ſuæ eis ſubtrahit, quo deſtituti mendacio credunt, in vanitate ſenſus ambulant &c. Recolantur ibi dicta contra Calvinum præfatis textibus abutentem, ut faciat Deum auctorem peccati.

X. Objicitur etiam, Deum multa prædixiſſe, quæ non evenerunt. Nam, *Geneſ. v.* 15. prædixit Cain, quod non eſſet occidendus; qui tamen a Lamech occiſus fuit. 4. Reg. 8. *v.* 10. prædixit Benadad, eum ſanandum fore: *Sanaberis*; qui tamen altera die mortuus eſt. Et e contra *c.* 20. *v.* 1. prædixit Ezechiam moriturum: *Morieris enim tu, & non vives*; qui tamen convaluit. Et *Jona* 3. *v.* 4. Ninive ſubvertendam prænunciavit: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*; quæ tamen ſubverſa non fuit.

XI Reſpondeo, Deum nihil unquam prænuntiaſſe, quod non evenerit, ut ab eo fuit prænunciatum; nimirum, vel abſolute, vel poſita conditione. De Cain Deus non abſolute prænuntiaverat, quod a nullo eſſet occidendus; ſed quod, ſi quis eum occideret, graviter eſſet puniendus: quamvis incertum ſit, an Cain fuerit occiſus. Certum eſt enim, Lamech virum occidiſſe; at num occiderit Cain, incertum. S. Auguſtinus, *in Pſalm.* 39. putat, ſanguinem Cain a nullo fuiſſe fuſum.

Prædixit, Benadad ſanandum fore, ideſt, non moriturum ex vi morbi, quod ita fuit. Nam etſi altera die mortuus fuerit, hoc non evenit ex morbo: ſed quia Hazael expanſo ſtragulo eum ſuffocavit, ut dicitur *v.* 15. Imo utrumque ei prædixerat Deus, dum per Eliſæum, ait: *Vade, dic ei: ſanaberis: porro oſtendit mihi Dominus, quia morte morietur.* Ideſt, ex alia cauſa.

Quod Ezechiæ dicitur: *morieris tu, & non vives*: intelligi debet dictum attenta qualitate morbi, diſpoſitione inferiorum cauſarum. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 171. *a.* 6. *ad* 2. & 3. *Contra Gentes c.* 154. Sententia autem Jonæ comminatoria eſt, ideſt Ninive ſubvertendam, niſi pœnitentiam egerit. Recolantur dicta, *Tom.* 1. *in* 1. *p. q.* 6. *de Scient. fut. Cond. Dub.* 1. §. 4. *n.* 23.

§. III.

Secunda Aſſertio.

XII. DIco ſecundo. Deus nec in natura aliena aſſumpta poteſt falſum dicere, aut mentiri. Prior pars eſt contra Calvinum, qui cum dicat, Chriſtum aliquorum ignorantia laboraſſe, & non ſolum diei Judicii, ut *l.* 2. *Inſtit. c.* 16. §. 10. verum & aliarum cauſarum naturalium, quarum cognitionem paulatim, ut cæteri homines, acquirebat; conſequens eſt, ut velit, eum ex tali ignorantia potuiſſe errare, & falſum dicere. Altera pars autem videtur eſſe contra Scotum. Cum enim affirmet, Deum in natura aliena poſſe admittere peccatum, eſto de facto nunquam admiſerit; videtur negare non poſſe, Deum in natura aliena potuiſſe mentiri, eſto de facto mentitus non ſit, propter decretum efficax de eo, quod nunquam mentiretur.

XIII. Hæc tamen noſtra Reſolutio communis eſt. Et quidem Deum in natura aliena peccare non potuiſſe, adhuc venialiter, oſtendetur in *Tract. de Impeccabilitate Chriſti*, & proinde nec potuiſſe mentiri.

Quod vero nec potuerit in natura aliena errare, aut falſum dicere ex ignorantia, & abſque omni culpa: jam oſtendi *in Vera Eccleſia, Tom.* 1. *c.* 4. §. 3. *n.* 14. Chriſtum, neque ut hominem, ratione ſcientiæ beatæ, & infuſæ aliquid ignorare potuiſſe; & Calvini objectiones ſolvi: quæ adire poterit lector. Nunc autem breviter ſic oſtendo. Ita oponitur falſitas primæ veritati, ſicut malitia moralis primæ, ac ſummæ bonitati: ſed prima bonitas, unita alienæ naturæ, ita rectificat omnes vires animæ, ut non poſſint ullo modo a ſumma bonitate nec leviter deficere; ergo prima veritas, unita alienæ naturæ, ita rectificat ejus intellectum, ut non poſſit a prima veritate deficere.

XIV. Sed dices. Deus in natura aſſumpta potuit aſſumere omnes defectus naturales; ergo etiam errorem ſpeculativum, qui defectus naturalis eſt.

Reſpondeo, neg. conſeq. Ut enim, §. *præced.* dictum eſt, defectus alii naturales opponebantur quidem felicitati partis inferioris humanitatis Chriſti, divinis tamen perfectionibus non contradicebant: at error ſpeculativus contradicebat veritati exiſtenti in Deo. Et ratio eſt: Quia alii defectus naturales ſunt defectus abſoluti, afficientes ſolum ſubjectum, in quo ſunt, ſolum enim illud dicitur mori, in quo eſt mors: & ſic mors, quæ eſt in ſecundo vivente, non opponitur vitæ, quæ eſt in primo vivente, ſed ſolum mors, quæ eſſet in primo vivente. At falſitas, & error eſt forma reſpectiva dicens diſcordantiam a prima veritate, cum qua veritas concordat: & ideo ſi Deus falſitatem cauſaret in intellectu creato, active diſcordaret a ſua prima veritate ſicut ſi cauſaret peccatum, diſcordaret a ſua prima bonitate.

XV. Dices ulterius. Chriſtus de facto mentitus eſt, cum diſcipulis euntibus in Emaus finxit, ſe longius ire (*Lucæ* 24. *v.* 28.) cum tamen haberet in animo, apud illos manere; ergo Deus in natura aſſumpta mentitus eſt.

Reſpondeo, neg. ant. Non enim omne, quod fingimus, mendacium eſt, ſed quando illud fingimus contra id, quod habemus in mente: vel ſic, quod illa fictione nihil veritatis, quæ in mente reſidet, ſignificare velimus. Sic enim mentimur, quia ſignis externis aliud explicamus, quam habemus in mente. Cum autem fictio noſtra refertur ad ſignificandum aliquid, quod in mente reſidet, illa fictione explicamus id, quod habemus in mente; & ſic non mentimur: alias omnia, quæ a ſapientibus, & ſanctis viris figurate dicta ſunt, eſſent mendacia. Sic autem Chriſtus finxit, ſe longius ire: ut ex diſtantia, quam fingebat exterius ab eis, indicaret illis diſtantiam, qua ipſe Deus ab eorum cordibus diſtabat. Doctrina eſt S. Th. 3. *p. q.* 55. *a.* 4. *ad* 1. Videatur S. Auguſt. *l. contra Mendacium cap.* 13.

§. IV.

An Deus poſſit mentiri, vel dicere falſum per ſuos Miniſtros?

XVI. DIco, Deus nec per miniſtros ſuos poteſt mentiri, aut falſum dicere. Probo evidenti ratione. Si Deus per miniſtrum ſuum mentiretur, aut diceret falſum, ſequeretur, Deum ipſum mentiri, aut falſum dicere: ſed hoc jam refutavimus; ergo &c. Maj. prob. primo. Quando agens principale aliquid agit per miniſtrum ſuum, actus miniſterialis principalius tribuitur ipſi moventi, aut imperanti miniſterium, & moraliter eſt actio ejus: unde ſi utar miniſtro, ſive ad mentiendum, ſive ad dicendum falſum, & mendacium, & falſitas æque tribuetur mihi, ac ſi ore meo proferrem. Nam miniſter, ut talis, agit nomine, ac induit perſonam ſui principalis. —— Secundo prob. maj. Cum Deus loquitur per miniſtrum, miniſter loquitur ex inſpiratione Dei, juxta illud Matth. 10. v. 20. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*; ergo ſi miniſter, ut talis, mentitur, aut falſum dicit, mentitur, & falſum dicit ipſe Deus.

XVII. Secundo probatur Aſſertum. Si Deus per miniſtros ſuos, per quos loquitur, poteſt mentiri, vel falſum dicere, ruit tota fidei noſtræ certitudo: tota enim noſtra fides nititur revelatis in Scriptura a Deo per miniſtros, Angelos, Prophetas, Evangeliſtas, alioſque Sacros Scriptores; ergo ſi Deus per illos potuit mentiri, aut falſum dicere, quis nos certos facit hoc non feciſſe?

XVIII. Sed dices. Deus mediante Conſcientia mea, quæ eſt ejus miniſtra, obligat me aliquando ad ſequendum errorem; ergo poteſt Deus per miniſtrum ſuum cauſare errorem. Ant. prob. Deus obligat me ad ſequendam conſcientiam meam, etiam quando errat: Si enim ex conſcientia invincibiliter erronea putarem, me teneri dicere mendacium pro tuenda fama proximi, teneor dicere mendacium ex lege divina.

XIX. Reſpondeo, neg. ant. Non enim Deus obligat ad ſequendam conſcientiam erroneam. Nam ſi conſcientia errat, & adverto errorem, teneor conſcientiam erroneam deponere: ſed obligat me ad operandum id, quod judico eſſe juxta legem Dei, & ad non operandum contra tale judicium. Et quia quando habeo conſcientiam erroneam, licitum eſſe mentiri ad tuendam famam proximi, judico (licet falſo) legem Dei eſſe mentiri ad tuendam proximi famam; ideo obligat me, ut operer, non contra, ſed juxta legem Dei; ſicque Deus non obligat me ad errorem formaliter, directe, & per ſe. Explico hoc. Suppoſita conſcientia erronea de dicendo mendacio &c. inſurgit in meo intellectu diſcurſus iſte practicus: non eſt faciendum id, quod exiſtimatur malum, & contra legem Dei: ſed non mentiri ob tuendam famam proximi, mihi apparet malum, & contra legem Dei; ergo mihi eſt mentiendum. Ex quo diſcurſu ſequitur, quod voluntas conſentiat mentiri: talis tamen conſenſus bonus eſt, quia regulatus illo diſcurſu vero, & bono: unde ad errorem formaliter non obligat me, ſed ad id, quod verum eſt, nempe, ſequi id, quod exiſtimo eſſe juxta legem Dei. Neque error eſt in majori præmiſſa, nec defectus in illatione: ſed error eſt in minori, quæ non eſt a Deo, ſed a me falſo, & erronee judicante.

XX. Dices adhuc. Prophetæ ex Dei inſtinctu loquuntur: ſed Prophetæ poſſunt errare: ſic enim, 2. *Reg.* 7. *v.* 3. Nathan erravit prænuncians Davidi, quod ipſe ædificaturus eſſet Templum, quod tamen falſum fuit; ergo &c.

XXI. Reſpondeo, diſt. min. Cum loquuntur ut Prophetæ, conc. maj. ſemper, neg. maj. & ſimiliter. diſt. min. Audiendus eſt S. Th. Quolib. 12. a. 26. ad 1. *Gratiæ gratis datæ non ſunt habitus, ſed ſunt quidam motus a Spiritu Sancto: alias ſi eſſent habitus, Propheta quando vellet, per donum prophetiæ revelationem haberet, quod falſum eſt. Et ideo de aliquibus occultis revelandis aliquando tangitur mens a Spiritu Sancto, & aliquando non, ſed aliqua eis occultantur. Et ideo dixit Eliſæus* (4. Reg. 4. v. 27.) Et Dominus celavit a me. *Aliquando etiam aliqua dicunt a ſe ipſis, ſicut patet de Nathan, qui conſuluit David, quod ædificaret templum; poſtea autem a Domino reprehenſus, & quaſi retractus, prohibuit hoc ipſi David ex parte Dei &c.* Videatur etiam hac 2. 2. *q.* 171. *a.* 5.

§. V.

An Deus uti poſſit Verbis Æquivocis, & Amphibologicis in alio Senſu, quam ab Auditoribus intelligantur?

XXII. VAriis modis poteſt contingere, quod quis loquens in uno ſenſu præſumere poſſit, ab audiente ſe intelligi in alio. Primo: cum quis profert verba duplicem ſenſum habentia, utrumque uſitatum, ut illud: *Ajo te Eacidam Romanos vincere poſſe*; quæ locutio poteſt uſitato modo in duplici ſenſu intelligi. Vel quod Eacidas poſſit vincere Romanos; vel quod Romani poſſint vincere Eacidam.

Alio modo, cum quis utitur verbis, quæ duo quidem poſſunt ſignificare, non tamen æqualiter; ſed unum per ſe, & veluti ad litteram, & aliud non tam ad litteram, quam ad ſpiritum. Sicut Chriſtus, *Matth.* 11. *v.* 14. dixit, Joannem Baptiſtam eſſe Eliam, intelligens eſſe, Eliam in ſpiritu: quod de ſe negabat Joannes: intelligens, ſe vocari Eliam in perſona.

Tertio modo, hoc contingit utendo verbis, quæ ſolitarie prolata mendacium proferunt, ſi tamen conjungantur cum aliis, quæ loquens in mente retinet, ac intra ſe, faciunt verum ſenſum. Sicut ſi quis, reus alicujus criminis, non legitime interrogatus: an fecerit tale crimen, reſpondeat: *non feci*: retinens tamen apud ſe, *ego legitime interrogatus*: cum quibus verbis conjungens ly *non feci*, facit propoſitionem negativam de ſubjecto non ſupponente, quæ juxta regulas Dialecticæ vera propoſitio eſt, & facit verum ſenſum.

XXIII. Certum ergo eſt apud omnes, nobis eſſe licitum uti verbis æquivocis, & amphibologicis in primo, & ſecundo ſenſu: imo Deum ipſum illis uti poſſe. Tum quia: in Scriptura Sacra plures locutiones amphibologicas invenimus: nec deſunt cauſæ ad cohoneſtandum talium locutionum uſum. Quarum prima eſt. Ne Scriptura Sacra adeo facilis ſit, ut etiam rudioribus pateat; & ne vileſcat apud eos, qui ſpiritualia non guſtantes, ſi de facili eam intelligerent, contemnerent. Secundo: ut ſtudium noſtrum in Sacra Scriptura excitetur. Tertio: quia hoc modo obligantur Fideles verum Scripturæ ſenſum ab Eccleſia, & Paſtoribus excipere. Quarto: ne infideles, ad quos libri Sacri venerint, fidei myſteria noverint, eaque irrideant. Quinto: ut nonnulla, quæ in ſacris Litteris enuntiantur futura, quæque non expedit, a nobis ſciri, maneant nobis obſcura.

XXIV. Difficultas eſt de uſu verborum tertii generis. Et quidem ante tempora Innocentii XI. fere communis erat ſententia, licitum eſſe uti mentalibus reſtrictionibus, ſeu proferre verba exterius, aliquid interius retinendo in mente. Attamen poſtquam Innocentius, *Propoſit.* 26. *&* 27. damnavit abſolute uſum reſtrictionis mentalis; ſimpliciter tenendum eſt, illicitum eſſe, uti amphibologicis locutionibus tertio modo ſupra explicato; nimirum, quando ille, qui loquitur, aliquid interius retinet varians ſenſum: ita ut neque ex verbis, neque ex circumſtantiis, neque ex alia cauſa manifeſtetur interior loquentis ſenſus, & mens. Et ratio eſt evidens. Nam conceptus interius retentus neque partialiter concurrere poteſt ad locutionem externam: non enim homines more angelico loquuntur per ipſos mentis conceptus, ſed vocibus, aut ſignis externis; ergo quoties aliquis aliquid habet in mente, quod non manifeſtat, dicit aliter, ac habet in mente, & conſequenter mentitur. Et propter hanc rationem

XXV. Dico primo. Deus hoc modo non poteſt uti amphibologiis, nimirum, involventibus reſtrictionem mentalem, quæ hominibus innoteſcere nequeat. Et hoc ea ratione, qua mentiri non poteſt.

Si vero, vel verba ipſa, vel circumſtantiæ prolationis, vel quidquam aliud quodammodo explicarent verba interius retenta, non eſſet amplius reſtrictio mentalis. Unde.

XXVI. Dico ſecundo. In hoc ſenſu poteſt Deus amphibologice loqui. Ita enim locutum fuiſſe, credimus Chriſtum. Tum *Marci* 13. *verſ.* 32. ubi: *De die autem illo* (inquit) *vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cælo, neque Filius*. Ideſt, filius non ſcit diem, vel horam Judicii, quia eſt res occulta; id autem, quod occultum eſt, neſciri dicitur. Vel non ſcit, quia nolebat facere, nos illud ſcire: ſicut enim in Scripturis dicitur Deus primo ſcire, vel cognoſcere, ut Gen. 22. v. 12. *Nunc cognovi, quod times Deum*, ideſt, nunc cognoſcere feci: ita dici poteſt neſciri, quod licet ſciatur, non tamen nobis eſt manifeſtandum: & hunc ſenſum, ſi bene adverterunt, ex modo loquendi Chriſti intelligere potuerunt Apoſtoli. Tum etiam, *Joann.* 7. *verſ.* 9. quando rogatus, ut aſcenderet in Templum ad diem feſtum, reſpondit: *Ego non aſcendo ad diem feſtum hunc*; cum tamen, *v.* 10. *aſcendit*. Ibi enim nulla fuit mentis reſtrictio: quia ex circumſtantia petitionis eorum, qui volebant, ut palam aſcenderet, & ut in eo manifeſtaret ſeipſum mundo; poterant, ſi attendiſſent, ſufficienter intelligere, Chriſtum reſpondiſſe, ſe non aſcenſurum palam, & publice: ſed in occulto, ut poſtea fecit: unde dicitur v. 9. *Tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non manifeſte, ſed* quaſi in *occulto*.

XXVII. Ratio autem eſt. Quia ſimili modo loquendi non involvitur falſitas, nec mendacium; ſed ſolum obſcuritas, & difficultas, quæ exigat interpretationem eorum, quæ dicuntur; quamque invenire poſſunt ii, qui audiunt, vel ex ipſis vocibus, vel circumſtantiis, vel ex alia cauſa. Quod maxime verificatur in locutionibus Dei. Licet enim Deus obſcure ſatis, & intellectu difficilia in aliquo loco loquatur: alibi tamen toties ſeipſum explicat, ut bene ſervantes Scripturas, in ipſis inveniant, vel invenire poſſint conſonum ſenſum, & demum adire Eccleſiam, ejuſque Caput viſibile Summum Pontificem, apud quem reliquit Deus Judicium infallibile in interpretando ſenſum eorum, quæ in Scripturis locutus eſt.

§. VI.

An Falſa Doctrina poſſit a Deo Confirmari Miraculis Veris.

XXVIII. QUia (ut ait S. Auguſt. Epiſt. 44. nunc 102. ad Deo Gratias, q. 6.) *Sicut humana conſuetudo verbis, ita divina potentia etiam factis loquitur. Et ſicut ſermoni humano verba nova, vel minus uſitata moderate, ac decenter aſperſa ſplendorem addunt; ita in factis mirabilibus congruenter aliquid ſignificantibus, quodammodo luculentior eſt divina eloquentia*. Propterea ea, quæ Deus dicit, ut homines dignoſcant, eſſe a Deo dicta, miraculis etiam atteſtari conſuevit. Unde Chriſtus veritatem ſuæ doctrinæ miraculis confirmabat; & Joanni Baptiſtæ per ſuos diſcipulos quærenti: an ipſe eſſet Meſſias, hoc reſponſo occurrit, Lucæ 7. verſ. 22. *Euntes renunciate Joanni, quæ audiſtis, & vidiſtis: Quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur: mortui reſurgunt*. Et *Marci* 16. *v.* 17. in ſignum veritatis fidei, quam prædicaturi erant, dedit poteſtatem miraculorum, dicens: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent &c.* Ideo Quæſito aperitur locus; an poſſit falſa doctrina miraculo vero (quod nimirum ſupra totam naturam ſit, & ſola divina virtute patrari poſſit) confirmari.

XXIX. Quod dupliciter contingere poteſt. Primo ſic, ut Deus faciat miraculum ex intentione confirmandi falſam doctrinam. Et hoc modo Deum miracula non poſſe facere, æque certum eſt, ac certum, quod Deus ſicut nec dicto, ita nec facto ſuo poteſt falſum confirmare, & atteſtari. Alio modo veluti concomitanter, nimirum in ea circumſtantia, in qua quis miraculo abuſurus eſſet ad confirmationem falſi. Ut ſi quis Pſeudopropheta præſciens, hora determinata Deum cras facturum miraculum, illa hora aſcenderet ſuggeſtum, & falſa proferens, miraculum illud in confirmationem eorum promittat, & ſtatim miraculum eveniat. Quia tamen iſte caſus metaphyſicus eſt; vix enim credi poteſt, quod Deus ſciens Pſeudoprophetam abuſurum miraculo futuro, illi revelet, ſe tali hora, vel momento tale miraculum operaturum: ideo alio modo proponi poteſt caſus: An ſcilicet præſciens Deus, quod ſi tali hora, vel loco, puta, juxta ſepulcrum falſi Martyris faciat miraculum, homines prudenter credituros eſſe, tale miraculum fieri in atteſtationem ſanctitatis illius viri, poſſit Deus facere. Qui caſus evenire poteſt.

XXX. Dico ergo. In neutro caſu poteſt Deus facere miraculum. Prob. primo. Nam alias Deus fieret illo miraculo teſtis falſitatis, & quodammodo ceu ſigillo obſignaret falſum, eo modo, quo Rex ſigillum ſuum traderet in ea circumſtantia, in qua ſciret, adhibendum fore ad obſignandum falſum diploma. —— Quod confirmo. Deus promiſit miracula facere, vel ad oſtenſionem ſuæ potentiæ, & majeſtatis, vel ad confirmationem ſanctitatis viri, aut veritatis doctrinæ: at ſi illa faceret in circumſtantia, in qua præſcit, hominem abuſurum ad confirmandam falſam doctrinam, vel falſam viri ſanctitatem, Deus teſtificaretur ut veram ſanctitatem falſam, ac ut veram doctrinam falſam: & qui deciperentur, rationabiliter dicere poſſent Deo: Domine a te decepti ſumus; ergo &c.

XXXI. Dices, Deum in illo caſu non fore teſtem falſitatis, quia miraculum non faceret ex fine atteſtandi falſitatem. Sicut ex quo Deus permittat conſcientiæ abuſum divinæ legis, non ſequitur, quod ſua divina lege concurrat ad illum conſcientiæ errorem: quia Deus ſua lege illum non intendit, neque legem facit eo fine, ut conſcientia errando illa abutatur: ergo &c.

XXXII. Reſpondeo, neg. conſeq. & diſparitas eſt. Nam error conſcientiæ, vel eſt invincibilis: & ſic, qui juxta illam operatur, non peccat; nec Deus talem errorem permittens, cenſetur velle abuſum ſuæ divinæ legis; Vel eſt vincibilis; & tunc habens talem errorem non tenetur juxta talem errorem operari; ſed potius poteſt, imo tenetur, talem errorem deponere; & ſi non faciat, illi abuſus divinæ legis tribuitur: unde bene poteſt Deus illum permittere, quin ei tribuatur. At vera miracula, utpote a Deo inſtituta in teſtimonia veritatis, neceſſitant eos, qui ea vident, ad credendum, id, quod per illa comprobatur, eſſe verum, & a Deo dictum: unde ſi fierent in ea circumſtantia, in qua homines crederent, per illa comprobari falſum; etiamſi Deus id non intenderet, ejuſmodi falſæ credulitatis, & falſitatis auctor jure cenſendus eſſet. Tenetur ergo Deus non permittere abuſum eorumdem in comprobationem falſi; alias convinceretur, voluiſſe falſum ſuis miraculis comprobare. Plura de hoc dixi *in Vera Eccleſia cap.* 2. *per totum*.

XXXIII. Modo tamen compendio dico primo: Malos homines poſſe facere vera miracula in confirmationem veritatis, ſi veram fidem annuncient, & Chriſti nomen invocent. Hoc enim probat illorum interrogatio, qui in die Judicii dicturi ſunt, Matth. 7. v. 22. *Nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Idem ſignificat Paulus 1. *Cor.* 13. indicans, fieri poſſe, ut per fidem aliquis transferat montem, etiamſi charitatem non habeat.

Secundo. Neque Magos, neque hæreticos ullum unquam

veri nominis miraculum in ſuæ Sectæ confirmationem facere potuiſſe: immo ſi aliquando attentarunt aliquod facere, aut nihil omnino effectum eſt, aut contrarium ejus, quod petebant, evenit, aut certe infeliciter ceſſit, Sic 3. *Reg.* 18. Sacerdotes Baal nequiverunt ignem impetrare, qui eorum hoſtias conſumeret: quamvis clamantes uſque ad meridiem, & cultris ſe uſque ad ſanguinem incidentes, invocarent Deum ſuum: Sic Cirola Epiſcopus Arianus, dum ad ſuæ religionis veritatem aſſerendam, quemdam, qui ſe ſimulabat cæcum, vellet illuminare, revera excæcavit, ut narrat Greg. Turon. *lib.* 2. *hiſt. Francor. c.* 3. Policronius etiam, ut refertur *in* 6. *Synodo Act.* 15. volens coram populo mortuum ſuſcitare, nihil facere potuit. Similia accidiſſe Luthero, & Calvino, narrant Staphilus, Coclæus, Lindanus, & alii apud Bellarminum *lib.* 4. *de notis Eccleſiæ c.* 14.

Nec refert, quod de Veſpaſiano Imperatore narrant Hiſtorici, ipſum, nempe, cæco lumen, & claudo greſſum reddidiſſe. Hoc enim non eſt miraculo adſcribendum. Tum quia: Tacitus rem hanc deſcribens *lib.* 4. *Hiſt.* dicit, medicos tunc conſultos reſpondiſſe, quod ægritudines illæ non erant ope humana incurabiles, (apud Baron. ad *ann.* 71. *num.* 6.) Tum etiam: veriſimile eſt, ejuſmodi ægritudines fuiſſe a Dæmone procuratas, qui in gratiam Veſpaſiani tunc deſiit eas inferre, quando Veſpaſiani tunc deſiit eas curare viſus eſt: & hoc, ut foveret errorem, qui apud aliquos inſane invaluerat, nempe, Veſpaſianum eſſe Meſſiam. Hæc enim (inquit Tertullian. in Apologet. c. 22. Dæmonum ars eſt: *Lædunt enim primo: dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova, ſive contraria: poſt quæ deſinunt lædere, & curaſſe credantur*.

Tertio. Per malos, etiam qui falſa docent, poſſe miracula fieri, vel ad nominis Chriſti, quod invocant, commendationem, vel ad oſtenſionem virtutis Sacramentorum, quæ adminiſtrant. Sic, ut refert Socrates *lib.* 7. *c.* 17. Paulus Novatianus cum ad baptizandum Judæum acceſſiſſet, iterato invenit, aquam baptiſterii totam receſſiſſe. Quod miraculum non in confirmationem Novatianæ Sectæ factum fuit, ſed in deteſtationem iterationis Baptiſmi: Judæus enim ille; cum jam eſſet Baptizatus, ſubdole petebat iterum baptizari. Sic etiam dici poteſt, miraculum illud virginis Veſtalis (ſi tamen miraculum fuit (quæ, ut ſe probaret incorruptam, aquam inexpanſam cribro perforato geſtavit: & alterius, quæ ſubtili fune ingentem navem traxit ad littus, fuiſſe factum, non in confirmationem idololatriæ, quam utraque profitebatur; ſed in commendationem virginitatis, quam utraque aſſerebat. Et eadem ratione nihil obſtat, quo minus miracula fiant per aliquem peccatorem, ad invocationem alicujus Sancti: quæ tamen miracula non dicetur facere ille peccator, ſed is ad cujus ſanctitatem demonſtrandam fierent. Quin etiam abſolute loquendo fieri poteſt, ut Deus miniſterio Dæmonum utatur in miraculis patrandis, præſertim circa punitiones improborum: quo modo quidam exiſtimant, plagas Ægypti fuiſſe a Dæmonibus illatas, etſi non improbabile ſit, fuiſſe inflictas per bonum Angelum. Ratio autem omnium prædictorum eſt. Quia ſicut ipſi, quamvis ſint mali, poſſunt teſtimonium perhibere tum Chriſto, tum Sacramentis ejus, tum Sanctis: ita Deus poteſt illis uti ad hujuſmodi teſtimonium ferendum, & per eos tamquam per inſtrumenta miraculum operari in finem prædictum. Videatur D. Thom. 2. 2. *q.* 178. *art.* 2. *ad* 3.

DUBIUM VIII.

An Objectum Fidei debeat eſſe Obſcurum; ita ut non poſſit eſſe Viſum, aut evidenter Cognitum.

§. I.

Reſolutiones Dubii.

I. STabilita præcipua fidei dote, nempe infallibili certitudine, qua ab omni, vel minima, falſitatis umbra vendicari poſtulat; aliam fidei conditionem, nempe, obſcuritatem, aggredimur dicente Apoſtolo, ad Heb. 11. v. 1. *Quod fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium*.

Et quidem habitum fidei de Deo de facto non permanere cum viſione Dei, & lumine gloriæ permanenter communicato, certum eſt. Tum quia: ut ex Paulo dicebamus, fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, & non apparentium: in Patria autem nihil remanet nobis ſperandum, nihilque occultum ſub velamine erit: *Quoniam videbimus eum ſicuti eſt* (1. Joann. 3. v. 2.) & *Facie ad faciem*, ut Paulus 1. *Cor.* 13. *v.* 12. Hoc ergo ſuppoſito, quæritur: an fides, & viſio ita ex ſuis rationibus opponantur, ut nulla potentia dari queat intellectus credens, & ſimul videns id, quod credit. Rurſus: an fides ſtare poſſit cum ſcientia evidente, & an cum opinione: an habitus fidei ſtare poſſit cum habitu luminis gloriæ, & an ſaltem cum lumine gloriæ tranſeunter communicato. Quæ per ſequentes Aſſertiones reſolventur.

II. Dico primo. Actus fidei, & viſionis Dei nullo modo in eodem intellectu conjungi poſſunt. Probatur. Repugnat, idem objectum ſimul clare, & obſcure cognoſci ab eodem intellectu: ſed ſi idem objectum ab eodem intellectu poſſet ſimul credi, & videri, poſſet eſſe ſimul obſcure, & clare cognitum; ergo &c. —— Neque dicas, repugnare quidem, eamdem rem videre clare, & obſcure cognoſcere per idem medium; non tamen per diverſa media, quorum unum ſit clarum, alterum obſcurum.

III. Nam contra eſt. Quando duo media ſic ſe habent, ut unum eſſentialiter præſupponat carentiam alterius in ſubjecto, non poſſunt ſimul compati in eodem ſubjecto de eadem re. Sic lux, & tenebræ in eodem ſubjecto, nec a diverſis cauſis ſimul induci poſſunt. Sic ſperare, & poſſidere eamdem rem, eam deſiderare, & de ea gaudere, neque ex diverſo motivo fieri poteſt. Quia tenebræ eſſentialiter prærequirunt carentiam lucis, ſpes carentiam poſſeſſionis rei ſperatæ, deſiderium carentiam gaudii, & fruitionis rei deſideratæ. Sed fides eſſentialiter prærequirit in ſubjecto carentiam viſionis, cum petat eſſentialiter obſcuritatem, & non apparentiam rei; viſio autem petit eſſentialiter carentiam obſcuritatis, quia eſt clara intuitio rei; ergo nec per diverſa media poteſt eadem res credi, & ſimul videri.

IV. Confirmatur. Fides comparatur motui: *Per fidem enim ambulamus* (inquit Paulus 2. *Cor.* 5. *v.* 7.) viſio autem comparatur permanentiæ, & ſtatui in termino: ſed motus eſt actus imperfectus ex parte ſubjecti, quia exigit, ut ſubjectum careat poſſeſſione termini, ad quem movetur, & eſt in potentia; ergo fides exigit, ut ſubjectum careat poſſeſſione objecti, quod credit: cum ergo viſio dicat objecti poſſeſſionem, fit, ut neque ex diverſo medio poſſint fides, & viſio ejuſdem rei ſimul ſtare.

V. Dico ſecundo. Actus fidei cum actu ſcientiæ evidentis de eadem re nequeunt in eodem intellectu ſimul conjungi. Hanc eædem rationes evincunt, quæ præcedentem Aſſertionem probavere. Cum enim fides, ex quo præexigit in ſubjecto obſcuritatem, & carentiam claritatis, pugnet cum viſione intuitiva, quia evidenti; eadem ratione pugnabit cum alia quacumque cognitione evidenti, ſive intuitiva ſit, ſive abſtractiva: evidentia enim habetur non ſolum a viſione intuitiva, quæ eſt ab objecto per ſe ipſum cognito; ſed etiam ab abſtractiva, quæ eſt ab objecto per aliud evidenter cognito, ut patet de concluſionibus, quarum eſt ſcientia.

VI. Confirm. De ratione fidei eſt aſſentiri, non quia ſufficienter moveatur ab objecto proprio; ſed per quamdam electionem voluntarie declinare ad unam partem magis, quam ad aliam, ut docet S. Thom. hoc *art.* 4. ſed cum intellectus convincitur ad aſſentiendum per evidentiam veritatis: quæcumque illa ſit, jam non aſſentitur voluntarie declinando ad unam partem magis, quam ad aliam, ſed neceſſario veritatis evidentia convictus; ergo talis aſſenſus cum aſſenſu fidei ſtare non poteſt. Unde S. Thom. hac *quæſt.* 1. *artic.* 5. reſolvit: *Dicendum, quod omnis ſcientia habetur per aliqua principia per ſe nota, & per conſequens viſa. Et ideo oportet, quæcumque ſunt ſcita, aliquo modo eſſe viſa. Non eſt autem poſſibile, quod idem ab eodem ſit viſum, & creditum . . . Unde etiam impoſſibile eſt, quod ab eodem idem ſit ſcitum, & creditum*.

Si tamen ſcientia ſit obſcura, quia nec habeat evidentiam veritatis in ſeipſa, nec in ſuis principiis viſis, aut evidenter cognitis, qualis eſt Theologia noſtra; hæc non pugnabit cum fide. Quare Theologus, qui demonſtrative cognoſcit, Chriſtum habere voluntatem creatam, de hoc una cum ſcientia habebit fidem; etiam poſtquam Eccleſia definivit contra Monothelitas, dictam veritatem tenendam eſſe, ut de fide.

VII. Dico tertio. Actus fidei, & actus opinionis de eadem re nullo modo componi poſſunt in eodem intellectu. Ita S. Thom. hac *quæſt.* 1. *art.* 4. Nam quamvis tam fides, quam opinio excludat evidentiam; & utraque non ſufficienter moveatur ab objecto proprio, ſed per quamdam electionem voluntarie declinet in unam partem magis, quam ad aliam; differunt tamen, quod opinio facit adhærere uni parti cum dubitatione, & formidine alterius partis, fides autem divina facit adhærere abſque formidine, & cum omnimoda certitudine: ſed impoſſibile eſt, quod eidem veritati quis ſimul adhæreat cum formidine alterius partis, rem poſſe aliter ſe habere, & quod eidem adhæreat abſque formidine, & cum certitudine, quod aliter non poſſit ſe habere; ergo &c. Quia tamen hæc quæſtio agitari ſolet in logicis, ubi unuſquiſque pro libito philoſophatur: ideo eam illuc remitto. Hoc unum monitum volo Candidatum meum: nimirum, quod eſto qui fide divina credit aliquam veritatem, poſſit etiam cognoſcere rationes probabiles, & congruentias, quibus oſtenditur, id, quod credit, non eſſe impoſſibile; non tamen de eo una cum fide habebit opinionem: quia verus Fidelis aſſentitur illi veritati, non propter congruentias illas, ſed unice, quia Deus ea revelavit.

VIII. Dico quarto. Habitus fidei nequit ſtare cum habitu luminis gloriæ. Ratio eſt: quia habitus, quorum actus ſunt eſſentialiter incompoſſibiles, ſimul ſtare non poſſunt: ſed actus fidei, & luminis gloriæ ſunt inter ſe eſſentialiter incompoſſibiles, ut dictum eſt: ergo & habitus. Addo: quod habitus fidei prærequirit ſubjectum in via, non in termino; habitus autem luminis gloriæ prærequirit ſubjectum in termino, non in via: ſed nequit idem ſimul eſſe in via, & non in termino, & in termino, & non in via; ergo &c. Quare Chriſtus qui habitu luminis gloriæ præditus erat, fidei habitum non habuit, ut omnes Theologi docent.

Si vero lumen gloriæ non per modum habitus, ſed per modum tranſeuntis alicui communicaretur, poſſet ſtare cum habitu fidei. Quare *Tom.* 1. *in* 1. *part. Quæſt.* 2. *de Exiſtent. Viſionis Dei Dub.* 1. §. 3. *n.* 9. cum S. Thoma hac 2. 2. *q.* 175. *artic.* 3. *ad* 3. oſtendimus, S. Paulum in raptu actu vidiſſe Deum, & tamen habitum fidei retinuiſſe. Et ratio eſt; quia lumen gloriæ, & viſio tranſeunter communicata non extrahit ſubjectum a ſtatu viæ, nec ponit illud in termino habitualiter. Videantur ibi dicta.